



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institutionum Juris Canonici Sive Primorum totius Sacrae
Jurisprudentiae Elementorum. Libri Quatuor**

Febeo, Francesco Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1704


VD18 13560743-001

Liber Tertius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63052)

INSTITUTIONUM
 JURIS CANONICI
 LIBER TERTIUS.
 TIT. I.

De Judiciis, & illorum divisione.

1.  Ognita jam prima, & altera parte tractandorum juxta divisionem nobis indicatam *lib. 1. titulo proce...* 2. ad tertiam progredimur, videlicet ad judicia, totamque Judiciarii Ordinis formam, de qua potissimum sermo est in *lib. 1. Decretal.*

2. Vox Judicii multiplicem significationem habet, ut videre est apud Abb. aliosque Doctores in rubr. *De judiciis*. Sumitur hic pro judiciali discussione causæ controversæ coram Judice in foro, ut sumitur ex *c. forus 10. de verbor. signif.*

3. Ad judicium hoc modo sumptum tres potissimum personæ concurrunt, Judex, Actor, & Reus. Judex est illa persona quæ auctoritate legitima præest discussioni causæ, eamque definit juxta juris præscriptum, Judex

appellatus ab eo quod jus dicat, iuste iudicando, ex cit. c. *Forus*. Actor dicitur ab agendo, & est illa persona quæ prior ad iudicium provocat, & civilem actionem proponit, ex l. *in tribus* 13. & l. *qui appellat*. 29. ff. *de Judiciis*. Dixi civilem actionem: intentans enim actionem criminalem dicitur Accusator. Reus est qui ad iudicium ab Actore provocatur, Reusque denominatur non à reatu, cum sæpe contingat ipsum nullius criminis conscium esse, si præsertim iudicium sit civile; sed à re, pro qua ad iudicium coram iudice provocatur, ut de ea inter utrumque coram iudice contendatur, unde iudicium ipsum, imo & ipsum forum, hoc est locus in quo iudicium agitur, appellari solet *contentiosum*. constant hæc ex cit. c. *Forus*.

4. Hæc tamen, quæ diximus circa interventum prædictarum personarum ad formandum iudicium, intelligenda sunt regulariter. Contingit enim aliquoties iudicium aliquod exerceri, in quo nullus proprie intervenit Actor, aut nullus determinate certus Reus ut v. g. quando iudex ex officio procedit per formam inquisitionis, motus ex publica fama alicujus criminis commissi à persona incerta; quamvis etiam tunc per juris fictionem dici possit intervenire Actor, & Reus, quia publica fama supplet loco Actoris seu Accusatoris; reus autem est aliquis, saltem indeterminate, ex facienda

cienda inquisitione certificandus c. *Licet Hel-*
31. de Simon.

5. Præcipuæ Judicii partes numerantur tres. Prima est contestatio litis, quæ est principium sive ingressus litis, & consistit in narratione Actoris, Reique contradictione coram Judice facta, ex *l. 1. C. de litis contestat.* ut inferius explicabitur. Secunda est discussio litis jam contestatæ. Tertia est conclusio seu sententia Judicis. Reliqua, quæ ad judicium requiruntur (de quibus etiam infra sermo erit,) sunt vel præparatoria, ut citatio, oblatio libelli &c. vel media, ut probationes, testimonia &c. vel consequentia, ut executio sententiæ &c.

6. Quamvis tamen judicia omnia regulariter in prædictis convenient, varia varie inter se differunt quoad aliqua accidentalia unde resultant plures judiciorum divisiones desumptæ vel ex ipso Judice, vel ex materia, vel ex fine, vel ex modo quo procedunt.

7. Ex parte Judicis, dividitur judicium in Ecclesiasticum, & sæculare. Judicium Ecclesiasticum est, quod coram Ecclesiastico Judice agitur; sæculare quod coram Judice laico.

8. Ex parte materiæ, dividitur primo in possessorium & petitorium. Judicium possessorium est, in quo agitur de possessione, vel quasi possessione sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda. *Dixi de possessione, vel quasi possessione*

sessione, ut complecterer non solum iudicium in quo agitur de rebus corporalibus, quæ dicuntur propriè possideri; sed etiam illud, quod versatur circa incorporalia, qualia sunt servitutes, & alia jura, quæ dicuntur quasi possideri, ut patet ex §. 1. *Instit. de Interdictis*, juncta *ibid. glos. v. quasi possessione*. Iudicium petitorium est, in quo contenditur de proprietate, seu jure, aut dominio alicujus rei.

9. Secundo ex parte materiae dividitur in Civile, & Criminale. Iudicium civile est, in quo agitur de causâ civili, puta de aliquo contractu emptionis &c. Criminale est, in quo tractatur de delicto.

10. Ex parte finis, subdividitur iudicium criminale in iudicium quod civiliter agitur, & in iudicium quod criminaliter exercetur, & in mixtum ex utroque. Iudicium criminale civiliter exercitum est in quo agitur de delicto dumtaxat ad interesse privatum accusatoris, seu ejus qui injuriam passus est, cui venit applicanda poena, ut puta si eidem solvenda sit poena pecuniaria &c. Iudicium criminale criminaliter tractatû dicitur quando tractatur de crimine ad commodum, seu vindictam publicam, puta si Reo subeunda sit poena corporalis, aut poena pecuniaria solvenda fisco &c. Iudiciû criminale mixtum est, quando finis uterq; concurrit, & videlicet de crimine agitur, tum ad aliquod in-

teresse privatum ejus, qui injuriam passus est, tum ad aliquam vindictam publicam. Ita sumitur ex *l. Prator ait 3. ff. de sepulcro violato*, juncta *ibid. glos. v. centum aurorum*.

ii. Demum ex parte formæ, seu modi, quo in judicio proceditur, dividitur judicium in plenarium, seu Ordinarium, & in Summarium seu extraordinarium. Judicium plenarium, seu ordinarium est, in quo causa cognoscitur servando omnes juris solemnitates, quæ ad judicium pertinent, ut puta cum citatur Reus, eique offertur libellus, seu Actoris intentio scripto edita, fit contestatio litis, præstatur juramentum calumniæ, &c. Judicium summarium seu extraordinarium est, in quo proceditur sine strepitu, ac solemnibus forma judicii, sed tantummodo substantialia servantur simpliciter, & de plano, ut rei veritas innotescat. Videatur *Clem. 2. de verbor. signif.* ubi declaratur qualiter procedi debeat in judicio de plano, ac sine strepitu & solemnibus figura judicii.

T I T. II.

De Judice, ejusque officio.

1. Inter personas principaliter ad judicium concurrentes primus est Judex, ut supra diximus *tit. preced. nu. 3*. Duplicis autem generis ille

ille est, videlicet Ordinarius, & delegatus. Judex Ordinarius dicitur, qui causas cognoscit, & jurisdictionem exercet competentem sibi ratione dignitatis aut Officii, cui talis jurisdictio annexa est à lege, vel consuetudine, cujus generis est Rom. Pontifex per totam Ecclesiam, Episcopus ejusque generalis Vicarius per suam diocesim, &c. Judex delegatus est, qui causas cognoscit, non ex vi officii, cui talis jurisdictio annexa sit, sed ex speciali commissione, unde jurisdictionem exercet non tam suo jure, quam ejus qui demandavit, ut sumitur ex l. More majorum 5. ff. de jurisdictione, & tradunt communiter Doctores in rubr. De off. Judicis Ordinarii, & de off. & potest. Jud. deleg.

2. Omnibus hujus utriusque generis Judicibus id commune est, ut transgredi non possint limites jurisdictionis suæ, quæ relate ad Judicem Ordinarium commensuratur territorio, & concessioni legis aut præscriptæ legitimæ consuetudinis, c. Ut animarum 2. de constitut. in 6. c. Duo simul 9. de off. Jud. Ord. & c. Cum contingat 13. de foro compet. relate autem ad delegatum commensuratur mandato, quo illi à delegante commissa est, ex c. Venerabili 37. de off. deleg. c. Cum dilecta 22. de rescr. & l. Diligenter 5. §. 1. ff. mandati.

3. Sed & plures sunt inter utrumque Judicem differentia, quæ desumuntur ex pluribus



textibus sub rubr. *de off. & potest. Jud. del. & de off. Jud. Ord.* In præsentis satis fit tres differentias recensere : reliquæ enim quæ concernunt particulares articulos judiciorum, puta facultatem exequendi sententiam à se latam, aut jus appellationis &c. exponentur infra suis in locis, ubi de eisdem judiciorum articulis sermo erit.

4. Prima igitur differentia est, quod jurisdictio Judicis Ordinarii non expirat per obitum ejus à quo Judex constitutus est, ut sumitur ex *c. Legatos 2. de off. legati in 6.* jurisdictio autem delegati cessat morte delegantis, si tunc res sit integra, & nondum facta fuerit citatio partium, secus autem si causa incepta sit saltem per citationem partis, in quo casu jurisdictio delegati prorogatur post mortem delegantis, usque dum causa fuerit absoluta. Sumuntur hæc ex *l. & quia 6. ff. de Jurisd. c. Gratium gerimus 20. & c. Licet undique 30. de off. deleg.*

5. Ista tamen intelligenda sunt regulariter & de jure communi. Cæterum pro aliquo casu particulari prorogari quoque potest, re integra, jurisdictio delegata post obitum delegantis, si pro eodẽ casu ita fuerit in jure statutum, vel in litteris commissionis expressum, ut est exemplum in Inquisitoribus Fidei, quorum jurisdictio quamvis sit delegata à Papa, ut colligitur ex *c. Ut officium 11. de hæret. in 6.* durat tamen

etiam

etiam post obitum Papæ, quia ita eis expresse conceditur in *c. Ne aliqui 10. eod. tit. & lib.*

6. Item prædicta intelligenda sunt de delegato ad justitiam seu ad lites: aliud enim juris servatur circa Delegatum ad gratiam, pro quo distinctione opus est, utrum delegatus fuerit ad solam executionem gratiæ ab ipso delegante factæ; vel utrum delegatus fuerit ad ipsam gratiam faciendam. Si delegatus fuit ad solam executionem gratiæ factæ ab ipso Principe delegante; tunc per obitum ejusdem Principis delegantis, etiam re integra, non expirat delegata facultas, juxta textum expressum in *c. Si super gratia 9. de off. deleg. in 6.* quia videlicet gratia jam à Principe facta per ejus mortem non cessat ex *c. decet 16. de reg. Jur. in 6.* cum itaque potestas executiva commissa delegato sit veluti accessoria eidem gratiæ, congruum est ut nec ipsa cesset per mortem Principis, quia accessorium naturam sequi congruit principalis, *c. 42. de reg. jur. in 6.* Si autem gratia non fuerit à Principe facta, sed facienda commissa fuerit Delegato, & interim ipse Princeps re integra moriatur, tunc per ejus mortem expirat delegata facultas, supposito quod commissa fuerit facienda gratia certæ personæ; secus autem si nulla personarum facta expressione, fuerit gratiose Delegato concessa facultas ut possit aliquibus personis idoneis aliqua beneficia providere; quia tunc cen-

setur gratia facta delegato, cui relicta est ea eligendi potestas; gratia autem facta non expirat etiam re integra per obitum concedentis. Constant hæc ex textu expresso in *c. Si cui* 36. de prob. in 6.

7. Sed quid si Delegatus ipse, antequam causa absolvatur, imo & re integra, moriatur, numquid delegata facultas expirat, an potius transit ad ejus successorem? Respondendum cum distinctione: vel delegatio facta fuit specialiter personæ; vel facta fuit dignitati & officio. Primum contingeret, si in commissione exprimeretur specialiter nomen personæ, v. g. *committo hanc causam cognoscendam & decidendam Titio*; aut aliàs ex conjecturis colligi posset præsumpta voluntas Principis committentis, & specialiter eligentis personam: secundum accideret, si in commissione exprimeretur solum nomen dignitatis, v. g. *committo hanc causam cognoscendam & decidendam Episcopo talis Ecclesie*, nec ex conjecturis & circumstantiis colligi posset, Delegantem specialiter respexisse ad personam, quæ tunc dignitatem obtinebat. In primo casu expirat delegatio per mortem delegati: imo & si contingat, plures simul ad eandem causam fuisse personaliter delegatos, ita ut omnes simul & conjunctim procedere jussi sint, illorumque aliquem mori causa pendente; tunc quoque expirat reliquorum omnium jurisdic-
tio,

ctio, nisi aliud in delegatione fuerit expressum, ut habetur *c. Uno delegatorum 42. de off. deleg.* In secundo casu jurisdictio delegata transit ad successorem in eadem dignitate, *c. Quoniam 14. eod.* Jurisdictio enim in tali casu specialiter commissa est dignitati, quæ numquam moritur, & à dignitate trans funditur in personam.

8. Secunda differentia inter Judicem Ordinarium & Delegatum est, quod Ordinarius habet jurisditionem propriam, & jure proprio eam exequitur; at Delegatus jurisditionem propriam non habet, & usum jurisditionis dū daxat habet jure alieno, seu delegantis, ut supra diximus *n. 1. ex l. more majorum 5. ff. de jurisd.* cui etiam consonat. *Quæcumque 1. §. qui mandata ff. de off. ejus cui mandata est jurisd.* Hæc autem differentia in eo fita est, quod Ordinarius habeat jurisditionem non revocabilem ad nutum illius, à quo constitutus est, sed tantummodo justis ex causis; at Delegatus habeat jurisditionem revocabilem ad nutum delegantis.

9. Ab hac tamen regula generali excipitur casus, in quo aliquis à Summo Pontifice delegatus ad aliquam causam, subdeleget eandem causam alteri, (sicut potest, ut paulo post exponetur,) ita ut nihil jurisditionis in eadem causa sibi reservet, sed totam committat subdelegato, tunc enim postquam causa agi cœpta est à subdelegato, nequit amplius primus Delegatus juris-

ditionem à subdelegato revocare, quia jam est functus officio suo, ex *c. Venerabili* 37. de off. deleg. quamvis eam revocare possit re integra, seu antequam causa agi cæpta sit à subdelegato, quia jurisdictio, qua subdelegatus uti non cœpit, non censetur in ipsum efficaciter transivisse, *c. quamvis* 6. eod. in 6.

10. Tertia demum differentia est, quod Ordinarius regulariter potest jurisdictionem suam alteri delegare, ex supracit. *l. Majore Majorum* §. de jurisd. & *c. cum Episcopus* 7. de off. Ordin. in 6. in iis verbis *per se vel per alium*. At pro Delegato distinguendum est, utrum sit delegatus à Supremo Principe, vel ab aliquo inferiori Ordinario. Delegatus à Supremo Principe, sive sit delegatus ad universitatem causarum, sive sit delegatus ad aliquam certam causam, potest eam alteri subdelegare, tum de jure civili ex *l. A judice* §. C. de Judiciis, tum de Jure Canonico, ex *c. si pro debilitate* 3. & *c. fin. de off. deleg. dummodo* tamen subdeleget personis expressis in *c. statutum* §. 1. & §. in nullo de rescr. in 6. videlicet personis dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis: excepto, si Princeps in Delegato specialiter elegerit industriam personæ, ut si dicat in litteris commissionis, *confidimus de tua industria, vel fide* & c. in quo casu ipse Delegatus

legatus non habet potestatem subdelegandi, ut colligitur ex *c. fin. §. is autem de off. deleg.*

11. At si Delegatus fit ab inferiori Ordinario, iterum distinguendum est. Vel enim est delegatus dumtaxat ad aliquam certam causam; vel est delegatus ad aliquam universalitatem causarum certi generis. Si ad aliquam dumtaxat certam causam, non potest ipsam alteri subdelegare, ex *c. cum causam circa finem 42. de appellationib. l. More 5. ff. de jurisd. & l. A Judice 5. C. de Judiciis*: nisi tamen fuerit ipsi concessum à Delegante. Si autem delegatus fit ad aliquam universalitatem causarum certi generis, potest alteri subdelegare particularem aliquam causam sub illa universalitate contentam, ut tradit *Glos. in cit. causam 42. de appellat. v. delegatus & Glos. in l. Legatus 12. ff. de off. Procons.* deputatus enim ad universalitatem causarum, censetur tanquam Ordinarius, ut notat *cit. Glos. in eod. cap. causam*; Ordinarius autem regulariter delegare potest, ut paulò ante dictum est.

12. Officium Judicis in genere duplex est, aliud nobile, aliud mercenarium, Officium nobile dicitur quod per se subsistit, nullique actioni deservit, sed impendi potest à Judice independenter ab omni actione, per quam Actor juridice petat id quod sibi ab altero de jure debetur, ut puta cum *Judex ratione Offi-*

cii sui sponte procedit ad inquirendum de vita, & moribus subditorum, aut etiam cum integrum restituit aliquem enormiter læsum, etiam si id faciat ad supplicationem ejusdem, qui cum non possit intentare actionem exclusus v. g. à sententia contraria & re judicata, aut à caliditate seu potentia adversarii, implorat Judicis Officium ex æquitate. Officium Judicis mercenarium est, quod actioni deservit, seu quod à Judice non impenditur, nisi interventu actionis, aut litis.

13. Jurisdictio Judicis, quæ exercetur officio nobili, vocari etiam solet *Imperium*, ad differentiam jurisdictionis exercitæ officio mercenario, quæ dicitur *simplex jurisdictio*. Dividitur autem Imperium in merum, & mixtum, de qua divisione sermo est in *l. Imperium 3. ff. de jurisd.* Imperium merum est, quod exercetur officio nobili in ordine ad utilitatem publicam, cujus generis est potestas ferendi leges, congregandi generale Concilium, puniendi facinorosos pœna mortis &c. Imperium mixtum est, quod exercetur officio nobili ad utilitatem privatam, qualis est potestas restituendi in integrum, dandi tutores &c. Denominatur autem mixtum, quia aliquid participat de mero Imperio quatenus exercetur officio nobili, & aliquid de simplici jurisdictione quatenus respicit utilitatem privatam.

14. Inde fit, aliqua reperiri, quæ possunt esse vel meri imperii vel mixti, juxta diversitates circumstantiarum, in quibus exercentur, ut puta excommunicatio, quæ ex publica causa imponitur contra rebelles vel contumaces, est meri Imperii; at si feratur ad instantiam partis, esse mixti Imperii tradit Panor. in *c. Cum contingat* 13. de foro compet. num. 17. & sic de pluribus aliis.

15. Utraque species Imperii, imo & ipsa simplex jurisdictio habet varios gradus, qui videri possunt latè expositi ac declarati in *Jurisditionum divisione*, quæ posita est in fine lib. 1. Digestorum, & apud Panor. in *cap. Quod ferdem* 10. de off. Jud. ord. n. 5. & seq. ubi etiam tractat de eorundem delegabilitate.

T I T. III.

De Advocatis, & Procuratoribus.

1. Post Judicem consideranda etiam est in Judiciis Advocatorum & Procuratorum persona, quorum auxilio plerumque actiones exercemus. Est autem Advocatus, qui pro altero coram Judice causam suscipit, ejusque defensionem ac patrocinium, suggerendo ea quæ juris sunt, præstat; unde voce juridica dicitur postulare, ut constat ex tota Decretalium, ff. & Co-

Codicis rubr. *de postulando* : quia scilicet suggestis rationibus postulat à Judice, ut Clienti suo jus reddatur.

2. Advocatus debet esse in litteris eruditus ut patrocinia desiderantibus præstare possit ex *l. 2. Cod. de postulando* juncta *ibid. glos. ejusque* officium est ut nihil quod causa desiderat omitat, temperet se ab injuriis, litem ex industria non protrahat, juxta textum expressum in *l. Quisquis 6. Cod. eod.* Item mendaciis, aliisque malis artibus non utatur, ad quarum periculum evitandum prohibitum est, ne Advocatus pactum ineat cum Cliente de emolumento sibi certæ partis acquirendo ex negotiis quæ tuenda susceperit ex *l. Si quis 5. C. cod. & l. sumptus 53. ff. de pactis*, quamvis ex ead. lege liceat dare justum stipendium Advocato ratione operæ ab ipso præstitæ, quod idem constat etiam ex *l. 1. §. si cui cautum est. ff. de variis & extraord. cognitionib.* Demum causam injustam, & improbabilem non suscipiat: unde olim in singulis causis ab initio jurare tenebantur Advocati, se non suscipere causam improbam defendendam, nec in tota lite ullam probationem exacturos, nisi quam pro veritate putaverint esse necessario exhibendam, ut patet ex *l. Rem non novam 12. §. Patroni C. de judicis*, ex toto *tit. C. de jurejur. propter calumniam dante.* Quod utrum & quomodo nunc servetur in

pra-

praxi, consulenda est particularium regionum consuetudo.

3. Munus Advocati suscipere possunt quotquot positivè non prohibentur. Prohibentur autem quidam de jure civili, ut videri potest apud Juristas in rubr. ff. & C. de postulando: quidam etiam de jure Canonico, inter quos primo recensentur Clerici, qui coram Judice laico postulare non possunt, etiam si minoribus tantum Ordinibus sint initiati, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur: nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint persecuti, aut pro conjunctis vel pro miserabilibus fortè personis, quæ proprias causas administrare non possunt, ut expressè habetur in c. 1. & ult. de postulando, ubi etiam decernitur, ut si Clericus aliquis contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneis, Advocatus vel Procurator esse præsumit, tamquam ingratus possit (maximè si Clericus sit ejusdem Ecclesiæ) beneficio hujusmodi spoliari. Prohibentur etiam postulare Religiosi, quamvis Clerici non sint, sive coram Judice laico, sive coram Ecclesiastico, nisi fortè id Monasterii exposcat utilitas, & Abbatis mandatum interveniat. c. ex parte 2. eod.

4. Procurator propriè dicitur, qui aliena negotia mandato Domini suscipit & administrat. l. 1. ff. de procuratorib. Si quis enim ea gerit sine tali mandato, is propriè non Procurator, sed

fed negotiorum gestor appellandus est , ut sumitur ex toto tit. ff. de negotiis gestis : sicut & ex eadem ratione Curator aut Tutor non dicitur procurator , quia non mandato Domini , sed ex voluntate Testatoris , aut ex decreto legis, seu Magistratus aliena negotia administrat. Differt quoque Procurator ab Advocato, quod Advocatus propriè non gerit aliena negotia, sed solum pro alterius causa dicit , allegando ejusdem causæ merita. Si quis autem in se suscipiat administranda negotia alicujus Universitatis , seu Communitatis cum ejusdem mandato ; is speciali vocabulo appellatur Syndicus , de quo est expressa rubr. in Decretalibus.

5. Procuratorum alii sunt extrajudiciales, ii videlicet , qui ad aliena negotia extra judicium tractanda de mandato Domini constituuntur , de quibus sermo est in toto tit. ff. de C. mandati. Alii judiciales , qui de mandato Domini constituuntur ad tractanda negotia judicialia , & dicuntur Procuratores ad lites , de quibus potissimum hic sermo erit. Rursus utrique vel constituuntur universaliter ad tractanda omnia alterius negotia , & sic dicuntur Procuratores universales , seu generales , ac constitui aliquando solent adjecta clausula *cum libera* , hoc est cum plena potestate agendi omnia, quæ Dominus potest, excepta facultate donandi,

di, ex l. Procurator 58. ff. de Procurator. Vel constituuntur tantummodo quoad aliquam certam litem, aut particulare negotium, & sic vocantur Procuratores speciales.

6. Procuratorem constituere regulariter nemo cogitur, etiam si ad Judicem citatus comparere non possit, detentus v. g. ab aliqua gravi infirmitate, aut alio justo impedimento, quod diuturnum non sit, & causa differri possit, supposito quod ipsa causa sit gravis, cui personaliter interesse citato expediat, ut sumitur ex cap. querelam 2. de Procurat. & l. questum 60. ff. de re judicata. Excipi tamen debet, si persona aliqua sit talis qualitatis aut dignitatis, ut personaliter comparens terrori futura esset Judici aut adversario, in quo casu Procuratorem cogitur constituere, ex l. quicumque 25. Cod. de procurat. Cogitur etiam Monasterium quando contra illud agitur, ex cap. cum venissent 2. de in integrum restitut. imo & si Monasterium ipsum agat, quia expedit pro parvo incommodo à strepitu causarum Servos Dei esse quietos, c. un. de Syndico. Item cogitur excommunicatus, quando contra illum agitur, & ipse personaliter comparere non potest ratione censuræ, cap. intelleximus 7. de Judiciis, quia non debet commodum à sua malitia reportare. Dixi quando contra illum agitur: ut enim agat ipse excommunicatus, sicut personaliter non ad-

mitti-

mittitur, ita nec per Procuratorem, ut colligitur ex *cap. fin. de procurat.* Nam qui facit per alium; est perinde ac si faciat per se ipsum, *c. qui facit 72. de reg. jur. in 6.*

7. Quemadmodum autem juxta dicta nemo regulariter cogitur, ita & quicumque regulariter potest Procuratorem in sua causa constituere quoad res quarum sit Dominus, nisi expressa lege prohibeatur. Prohibetur autem de jure Canonico ab agendo excommunicatus, ut diximus: & de jure civili nequit constituere Procuratorem ad lites Minor tutorem, aut Curatorem non habens, qui per se stare in judicio non possit, exceptis quibusdam casibus, ut in actione injuriarum &c. de quibus sermo est in *l. filius familias 8. ff. de procurat.* & exceptis causis beneficialibus, aliisque spiritualibus, super quibus annum ætatis quartumdecimum egressus stare potest in judicio ad agendum, & defendendum, per se vel per Procuratorem, quem ad hoc constituendum decreverit, nulla quoad hoc habita ratione assensus patris, etiamsi sub potestate Patris existat, ex *cap. fin. de Judiciis in 6.* Quod si intra decimumquartum annum existat, tunc pro eisdem causis non poterit ipse per se stare in judicio; sed si fuerit major infante, hoc est septennio, Procuratorem constituere potest cum autoritate Episcopi aut Officialis ejusdem, vel per ipsum

Epi-

Episcopum, ejusdemve Officiale dandus illi erit Curator ad lites hujusmodi exercendas, ex eod. c. *fin. de judiciis in 6.*

8. Eodem modo Procurator quilibet dari potest, nisi certa lege prohibeatur, sicut de jure Canonico prohibentur Clerici, & Regulares, ut supra dictum fuit de Advocato *num.*

3. Et cum munus Procuratoris in judiciō contineat tantummodo purum ministerium absque ullo jure, potest constitui etiam laicus in causis spiritualibus, tum ad agendum, tum ad defendendum in judiciō, *cap. 1. de procurat. in 6.* Idque procedit sive præsens sit qui constituitur Procurator, sive sit absens, dummodo consentiat constitutus, ut sumitur ex *cap. licet 7. eod. in 6.* Rursus idem procedit sive constituatur Paterfamilias, sive filiusfamilias etiam sine Patris consensu, dummodo ætatem legitimam habeat, hoc est major sit 25. annis: ea enim ætas est, quæ in Procuratore ad lites requiritur, quamvis in Procuratore ad negotia extrajudicialia satis sit 17. annos complevisse, ex *cap. qui generaliter 5. eod. in 6.* & §. *eadem lege circa finem inst. quib. ex causis manumittere non licet.* Romæ tamen sufficit etiam ad lites 20. annos excessisse, ex *Statuto Urbis lib. 1. cap. 47.*

9. Demum sicut quilibet regulariter Procurator constitui, & quilibet regulariter constituere Procuratorem; ita & quælibet causa regulari-

lariter agi per Procuratorem potest, nisi expressè prohibeatur. Prohibetur autem causa criminalis, ad quam Procurator sive ad accusandum, sive ad defendendum non admittitur, ex cap. *veniens* 15. de accusationibus. & ex l. *penult.* §. *ad crimen* ff. de publicis judiciis: nisi tamen pro actione injuriarum constituatur ab illustri persona. cap. *absens* 18. §. *nisi* 3. quest. 9. & l. *fin.* c. de injuriis. aut nisi agatur de levi crimine, & non excedente pœnam relegationis, juxta l. 1. ff. *an per alium causa appellationum* &c. aut nisi agatur etiam de gravi crimine, sed civiliter, ex c. *tua* 5. de procurat. & c. *super his* 16. in fine de accusationibus: aut demum nisi procurator accedat non tam ad defendendum Reum, quam ad excusandam ejus absentiam, ex cit. c. *veniens*, & l. *servum* 33. §. *publice* ff. de procurat. juncta ibid. glos. v. *defensio*, in quibus casibus per citata jura admittitur procurator.

10. In officio Procuratoris potissimum, quod attenditur, est mandatum Domini, sine quo regulariter nemo tamquam procurator ad agendum admittitur, cap. 1. de procurat. exceptis consortibus ejusdem litis ex l. 2. Cod. de consortibus ejusdem litis, & exceptis conjunctis personis enumeratis in l. *sed & hæc* 35. ff. de procurat. scilicet parentibus, filiis, licet sint in potestate, fratribus, affinibus &c. cui etiam consonat c. *nonnulli* 28. in fine de rescr. Dixi ad agendum.

qui

quilibet enim qui legitimè stare possit in iudicio potest in se suscipere defensionem Rei, etiam absque ejusdem mandato, modò satsidet, hoc est fidejussoribus datis promittat iudicatum solvi pro litis æstimatione, ex §. penult. instit. de satsidationibus, & l. qui proprio 46. §. 2. & 3. ff. de procurat.

11. Sed & ejusdem mandati fines diligenter servandi sunt, ex l. diligenter 5. ff. mandati, adeoque nequit Procurator, nisi ea negotia administrare, quæ in mandato expressa sunt, aut sine quibus negotia expressa administrari non possent. Hoc autem adeo procedit, ut etiam constitutus generaliter Procurator ad omnia negotia, non propterea possit ea administrare, quæ speciale mandatum requirunt, (quæ qualia sint, videri possunt apud Gloss. in cap. qui ad agendum 4. de Procurat. in 6. aliofque Doctores ibid.,) quamvis in mandato procuratorio contineatur clausula generalis, ut omnia tractare possit etiam speciale mandatum exigentia: talis enim clausula relatè ad ejusmodi negotia habetur pro non adjecta; nisi tamen simul cum tali clausula specificati particulariter essent aliqui articuli speciale mandatum exigentes, in quo casu posset procurator ille tractare tum illos articulos expressos, tum alios speciale mandatū exigentes, dummodo non sint majores & graviores expressis, ut

ut sumitur ex cit. c. qui ad agendum, & ex Clem. 2. eod. quibus etiam concordat cap. sedes 15. de rescr.

12. Effectus mandati procuratorii est, ut domino profit aut noceat id quod à Procuratore gestum est, supposito quod in eo fines mandati non excefferit: secus autem, si excefferit. Quod si idem Procurator etiam intra fines mandati aliquid gesserit per dolum aut fraudem in præjudicium Domini, succurritur Domino per actionem mandati, ita ut scilicet Dominus agere contra Procuratorem possit id, quod sui ipsius interest. Sumuntur hæc ex l. si Procurator 10. Cod. de Procurat. & l. licet 42. ff. eod.

13. Alius quoque ejusdem mandati effectus est, ut Procurator per se ipsum debeat officium suum exequi, nec possit alium substituere, nisi Dominus litis factus sit, (quemadmodum fieri censetur post litem contestatam); aut nisi datus sit Procurator in rem suam, seu ad suum emolumentum, ut puta si Dominus ei actiones suas quoquomodo cesserit; aut nisi à Domino potestatem habeat substituendi. Hæc tamen intelligenda sunt de Procuratore ad judicia; Procurator enim datus ad negotia extrajudicialia potest liberè quodcumque aliū deputare. Constant hæc omnia ex cap. 1. de procurat.

121. 6.

14. Po-

14. Potestas, & officium Procuratoris sive ad judicia sive ad negotia dati tribus modis expirare potest. Primò enim finitur mutuo Domini, & Procuratoris assensu, quia omnes res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, *cap. 1. de reg. jur. & l. nihil tam naturale 35. ff. eod.* Secundò finitur per mortem ipsius Procuratoris, cujus officium ad hæredem non transit, cum in eo videatur electa industria personæ, ex *l. mandatum 57. ff. mandati.* Tertiò per mortem Domini, quamvis si per ejusdem mortis ignorantiam mandatum impletum sit, competat Procuratori actio utilitatis causa, ex *l. inter causas 26. ff. eod.* In casu autem quo aliquis constitutus sit Procurator pro Ecclesia aut beneficio à Prælato, qui Prælatus post litem contestatam aut post negotium inceptum moriatur, tunc ex alia quoque speciali ratione cessat Procuratoris officium etiã quoad cœpta negotia, juxta textum in *Clem. fin. de procurat.* quia scilicet Sede vacante, nihil innovari debet, ut constat ex toto tit. *Ne sede vacante aliquid innovetur.*

15. Præterea cessat potestas Procuratoris ad lites per revocationem ejusdem, quæ ante litem contestatam potest liberè à Domino fieri, ex *l. ante litem 16. ff. de procurat.* secus autem post litem contestatam, quia tunc Procurator cum sit factus Dominus litis, non potest invitus revo-

O

cari

cari nisi iusta causa intercedat, puta inimicitia morbus &c. ex *l. post litem* 17. & *seqq. ff. eod. de procuratoribus* 22. C. eod. & c. *quamvis* 2. eod. tit. in 6. quamvis etiam in casu, quo Procurator revocari non possit, non prohibeatur Dominus personaliter adesse suæ causæ una cum eodem Procureto, maximè si de collusionem timeatur, ut notatur expressè in eod. c. *quamvis*. Ut autem revocatio valida sit, debet legitimè pervenire ad notitiam Procuratoris revocati, ut sumitur ex *ex insinuatione* 3. *de procurat.* imo & ad notitiam Judicis, & Adversarii. ex *cap. mandato* 1. eod.

16. Excipitur tamen ab hac generali regula casus, in quo Procurator facultatem habens a Domino, re integra alium Procuratorem substituatur: hic enim Procurator substitutus revocari non potest à Procureto substituente per mandatum susceptum, etiam si idem substitutus nondum fuerit usus tali mandato, nisi ipse substituens habeat à Domino non solum facultatem substituendi, sed etiam facultatem revocandi, juxta c. *Is qui* 3. *de procur.* in 6. substitutus enim alium, censetur functus officio suo, quamvis in delegato Sedis Apostolicæ vires suas alteri committente aliud censeatur, cui possit re integra revocare subdelegatum, ut notatur in eod. *cap. is qui*, & supra dictum fuit nobis in præced. tit. num. 9. Ratio discrimina

esse potest; quia delegatus Principis ad aliquam causam, sicut & delegatus inferioris Ordinarii ad aliquam universitatem causarum, habet à lege potestatem subdelegandi, unde censetur quasi Ordinarius ut etiam supra dictum est *tit. preced. num. 10. & seq.* At Procurator ad lites, re integra, seu ante lites contestationem, si quam potestatem habet substituendi, eam non habet à lege & stabiliter, sed solum ab homine & transeunter ad unum actum, quo expleto jam censetur functus officio suo.

17. Hinc à contrario sensu infert Layman. in *cit. cap. is qui*, si aliquis Procurator post lites contestationem alium suo jure substituere, ut potest ex supradictis *num. 13.* posse ipsum revocare, causamque reassumere, si substitutus nondum usus sit mandato: quia post lites contestationem habet non ab homine, sed à lege potestatem substituendi; si autem usus sit mandato, non potest ipsum invitum revocare, nisi justa causa intercedat, quemadmodum paulo ante diximus de potestate Domini in ordine ad revocandum Procuratorem.

18. Quæ dicta sunt de revocabilitate Procuratoris ad lites, intelligi cum proportione etiam debent de Procuratore à Domino constituto ad negotia extrajudicialia: quia & ipse revocari à Domino potest, quamdiu res est

integra : quod si res non sit integra , justa revocationis causa intercedat necesse est ad effectum revocationis. Item ut ejus revocatio valida sit , requiritur ut ad Procuratoris revocari notitiam perveniat, ex *l. si mandassem 15. ff. mandati*: & insuper si Procuratio sit circa negotium tractandum cum certa persona , cujus interest sit scire constitutionem aut revocationem Procuratoris , necessarium quoque erit , ut eadem personæ innotescat Procuratoris facta revocatio.

19. Excipitur tamen ab hac regula Procurator constitutus ad matrimonium contrahendum. Si enim antequam contrahat, à Domino revocetur, contractum postea matrimonium nullum est, etiamsi revocatio tam Procuratori, quam illi personæ, cum qua contractum esse fuerit penitus ignorata , cum illius confessio defecerit, sine quo firmitatem habere nequit, juxta textum expressum in *c. fin. de procurat.*

T I T. IV.

De in jus vocando, & contumacia.

1. PRæmissa generali notitia principalium personarum , quæ judiciis interveniunt, agendum modò est de ipso ordine judiciali, & primò de quibusdam præparatoriis , quæ

gulariter ipsi iudicio, sive de jure positivo, sive etiam de jure naturali præire solent.

2. Primum, quod in tali genere occurrit, est citatio, de qua sermo est in tota rubr. ff. de in jus vocando, eoque nomine intelligitur vocatio, per quam vocatur Reus in jus, id est ad tribunal Judicis, juris experiundi gratia, hoc est ut experiatur Aëtor an jus sibi competat, necne, ut sumitur ex l. 1. ff. de in jus vocando. Eiusmodi citationem omni iudicio præmitti debere, suadet tum naturalis æquitas, quæ postulat neminem indefensum iudicari, tum jus positivum statutum in l. de unoquoque 47. ff. de re iudicata, &c. inter quatuor 8. de majorit. & obed. aliisque juribus, ita ut omnia quæ nulla præmissa citatione in absentem fiant, careant omni robore firmitatis.

3. Multiplex autem est citationum species. Alia enim est citatio Juris, quando videlicet aliqua lex, vel Canon certum dierum terminum statuit, intra quem debeat aliquis se iudicio sistere, cujus exemplum est in cap. 1. & 16. de elect. in 6. cap. quamvis 8. de off. Ordin. in 6. & alibi. Alia est citatio hominis, quando scilicet quis mandato Judicis in iudicium vocatur, de qua citatione sermo est in c. Proposuisti 19. de foro compet. c. cum dilectus 6. de dolo, & contumac. c. veniens 15. de accusationib. &c.

4. Secundò alia est citatio realis, alia ver-

balis. Citatio realis dicitur realis captura personæ ad iudicium trahendæ. Citatio verbalis est, quæ fit solo verbo Iudicis, aut Officialis. Huic affinis est quæ fit per litteras citatorias, & dicitur citatio scripta: item quæ fit affixis litteris citationis, & vocatur citatio edictalis, deum quæ publicè fit per præconem, Campanam, vel tubam.

5. Ut citatio legitima sit, plura requiruntur. Primò enim opus est ut fiat à Iudice competente, cujus jurisdictioni citandus subfit, & in ejus territorio commoretur, quia extra territorium jus dicenti non paretur impune, ex c. 2. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de jurisdic. omn. iudic. Sed neque potest regulariter idem Iudex aliquem sua spontè citare; instantia enim partis præcedat necesse est, quod intellige pro causis privatis, iis præsertim quæ simplici jurisdictione, seu officio Iudicis mercenario cognoscuntur; secus enim frequenter accidit in publicis causis meri aut mixti imperii, ut colligitur ex c. qualiter 24. de accusation.

6. Secundò opus est ut servetur forma legitima, pro qua necesse est exprimi primò nomen Iudicis, ut innotescat an sit comperens: Secundò nomen, & cognomen citati, ut vitetur æquivocatio, & fraus, ex cap. 2. de rescr. in 6. Tertiò nomen, & cognomen ejus, ad cuius instantiam fit citatio, ut citatus cognoscat Iudicem

dicem ad instantiam partis procedere, secumque deliberet an velit cedere, vel contendere. Quartò causam saltem in genere, ut possit Reus super re, pro qua citatur, se præparare ad respondendum, *c. praterea 2. de dilationib. ubi Panor. n. 2. aliique.* Quintò locum iudicii, ut constet: utrum sit competens, & tutus, quia citatus ad locum non tutum non tenetur comparere, sed liberam facultatem habet appellandi, etiamsi causa commissã fuerit cum clausula *appellatione remota*, *cap. ex parte 47. de appellat.* Sextò diem, & terminum ad comparendum, ut appareat an sit dies iudicus, vel feriatus; die enim feriato, si statutus sit in honorem Dei, & Sanctorum (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) iudicium exerceri non potest, etiam de consensu partium; quamvis in diebus feriatis, qui gratia vindemiarum, vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate, *c. fin. de feriis.*

7. Authoritas citandi est penes quemcumque Iudicem competentem, sive Ordinarius ille sit, sive Delegatus: cui enim sive à jure, sive ab homine iurisdictio commissã est, reliqua quoque concessa sunt, sine quibus iurisdictio exerceri non posset, *ex l. 2. ff. de iurisd. omn. jud.* Illud tamen discrimen est inter utriusque generis Iudicem, quod Delegatus possit tantum citare

verbaliter, vel per litteras citationis, non interim per edictum, nisi fit delegatus Supremi Principis, ex *auth. de litigiosis §. omnem vers. jubemus enim Ordinarios*, & *vers. aliis autem omnibus*, nec per citationem realem, nisi specialem de illa commissionem habeat, ex *auth. de exhibendis reis §. si vero semel*, juncta *ibid. Glos. v. omnimodo*. E converso Judex Ordinarius, & re & verbo citandi facultatem habet. Videri potest *Maran. de ordine judiciorum* sub titulo de *citatione*.

8. Effectus citationis varii sunt. Primus est obligare citatum ad comparendum, ita ut si vel post trinam vocationem, vel post unam peremptoriam cum tanto temporis intervallo, quantum trina vocatio contineret, non obediat; contumax dicendus sit, ex *l. contumacia 53. ff. de re judicata*, ejusque inobedientia variè puniatur, ut constat ex toto *Decretal. tit. de dolo, & contumacia*. Inter reliquas pœnas, quibus punitur contumacia Rei, ea est ut Actor mittatur primùm in possessionem rerum contumacis, de quibus actio est, non tamquam verus possessor, & Dominus, sed potius tamquam custos, ex *cap. 1. de eo qui mittitur in possessionem*. Quod si hoc non obstante Reus in contumacia perseveret, post annum ex secundo decreto conceditur Actori vera possessio eandem rerum, quarum Reus erat Dominus *cap.*

pro-

prout nobis 4. & c. contingit 9. de dolo, & contumacia, & cit. c. 1. de eo qui mittitur in possess. reservata dumtaxat quæstione proprietatis absenti, ex cit. cap. prout nobis. Nec prodesse potest Reo, si per vim, & potentiam impediatur Actorem ab ingressu possessionis obtentæ per primum decretum: cum enim nemo reportare debeat commodum ex malitia sua, de canonica æquitate sancitum est, ut elapso anno Actor, eo non obstante, verus possessor constituatur, perinde ac si ex primo decreto possessionem causa custodiæ realiter ingressus fuerit, & retinuerit, cap. contingit 9. de dolo, & contumac.

9. Ab hac tamen regula causa beneficialis excipitur: propter contumaciam enim partis adversæ non est mittendus Actor in possessionem beneficii, utpote quod sine canonica institutione obtineri non potest cap. 1. de reg. jur. in 6. sed in eo casu poterit Judex etiam lite non contestata, diligenter examinato negotio, ipsum finem debito terminare, cap. un. de eo qui mittitur in possess. in 6.

10. Quod interdum etiam obtinet in causa temporali, ut scilicet propter contumaciam partis possit Judex devenire ad sententiam definitivam. Ubi tamen distinguendum est utrum contumacia se teneat ex parte Rei, an ex parte Actoris. Si enim ipse Actor contumaciæ crimen incurrat, tunc etiam lite non contesta-

ta, (de qua contestatione quid sit, & quomodo fiat sermo erit infra), instante Reo potest per sententiam Judicis causa terminari, *cap. Causam 3. de dolo, & contum.* quidquid sit de jure civili, juxta quod tres dilationes & post illas adhuc annus indulgetur Actori ad comparandum, ante litem contestatam, ut notat Panor. in cit. *cap. Causam num. 15.* Si autem Reus sit contumax; tunc regulariter procedi non potest ad sententiam definitivam, nisi lis fuerit contestata, & de causa liqueat, *cap. Prout nobis 4. eod.* Equum enim est, contumaciam Actoris, quæ gravior est, gravius etiam puniri. Nisi tamen criminalis causa contingat, in qua procedatur per viam inquisitionis: in ea enim contra Reum absentem contumacem, etiam lite non contestata, testes recipi possunt, & sententia definitiva ferri *c. Veritatis 8. eod.*

11. Alia quoque contumaciæ poena est, ut contumax damnetur ad legitimas & moderatas expensas, quas propter ejus contumaciam Adversarius fecit à tempore citationis emissa, *cap. Ex litteris 2. & cap. Cum dilecti 6. eod.* Quod si solvendo non fit, ad Judicis arbitrium puniri aliter poterit, ut sumitur ex *c. finem 5. eod.*

12. Ista tamen intelligenda sunt, si citatus impeditus non fit, nullaque se possit exceptione tueri, ut puta exceptione qualitatis personæ, quæ ad iudicium compelli non possit, jux-

ta l. 2. & seqq. ff. de in jus vocando, vel exceptione conditionis loci aut Judicis manifestè incompetentis ; vel exceptione temporis illegitimi ad exercenda judicia ; vel demum exceptione illegitimæ formæ citationis. Quod si citatus dubitet an Judex, à quo citatur, competens sit ; aut si privilegium, quod habet exemptionis ab ipso, non sit manifestè notorium, quale est v. g. privilegium exemptionis Clericorum à Judice laico ; in tali casu comparere debet, & incompetentiam allegare, l. 2. ff. Si quis in jus vocatus non ierit, ejusdemque competentiæ judicium spectat ad ipsum Judicem citantem, ex l. Consensisse 2. §. Sed si dubitetur, & l. Si quis ex aliena 5. ff. de judiciis. Demum cessante impedimento, quo detentus fuit, debet citatus, quanto citius poterit, se Judici præsentare, ex cit. c. Cum dilecti 6. de dolo, & contum.

13. Alter citationis effectus est perpetuare jurisdictionem Judicis respectu illius causæ, de qua citatio facta est, & inducere præventionem respectu ejusdem causæ in Judice citante, ita ut si contingat citatum, accepta citatione, mutare domicilium, & egredi limites territorii Judicis citantis ; adhuc subdatur jurisdictioni ejusdem Judicis quoad illam causam, c. Proposuisti 19. de foro compet. & l. Si quis 7. ff. de Judiciis. Qua in re nihil discriminis est inter

Ju-

Judicem Ordinarium, & Delegatum, quamvis aliqui oppositum senserint: tum quia pro utroque eadem ratio militat: tum etiam quia in citatis juribus nulla fit quoad hoc inter utrumque Judicem distinctio: ubi autem jura non distinguunt, neque nos distinguere debemus, *l. de pretio 8. ff. de publiciana in rem actione.*

14. Tertius effectus citationis est interrumpere præscriptionem, ex *l. fin. Cod. de annali exceptione.* Quartus demum citationis effectus est inducere litem pendentiam; qua durante nihil innovari debet, ut constat ex toto tit. *Ut lite pendente &c.* Ad hunc autem effectum satis est, non solum si citatio pervenit ad partem citatam, sed etiam si per eam factum sit quo minus perveniret, juxta textum in *Clem. 2. Ut lite pendente.*

T I T. V.

De libelli oblatione.

1. **R**Eo ex vi citationis comparente coram Judice, debet Actor libellum Judici offerre, hoc est brevem scripturam, in qua clare contineantur nomina Judicis, Actoris, & Rei, Actoris intentio, res quæ petitur, & causa petendi, quæ omnia scripto tradenda sunt, supposito quod procedendum sit in forma judicii, *cap. 1. de*

de libelli oblat. ac deinde ejusdem libellum inspiciendi ac describendi potestas concedenda est Reo, ut secum deliberet an velit cedere vel contendere, ut constat ex l. 1. C. de edendo, & auth. Offeratur C. de litis contest. relata à Grat. in c. Induciæ 4. 3. q. 3. §. Offeratur: ac propterea accepto libello non statim cogitur respondere Reus, sed de jure communi conceduntur ei induciæ 20. dierum, ex cit. auth. Offeratur.

2. Est autem libellus duplex, nempe alius civilis seu conventionalis, qui scilicet pro causa civili, & in id quod Actoris interest, concipitur, de quo sermo est in c. fin. de libelli oblat. alius criminalis, in quo criminis accusatio continetur.

3. Illud potissimum in conceptione libelli attendendum est, ut servetur forma legitima. Pro hac in libello criminali opus est exprimi nomen accusatoris, nomen Rei accusati, & nomen Judicis, coram quo accusatur, item delicti locum & tempus. Constant hæc omnia ex l. Libellorum 3. ff. de accusationib. ubi ponitur forma libelli criminalis. Pro forma autem libelli conventionalis, opus est (ut diximus) exprimi nomina Actoris, Rei, & Judicis, rem quæ petitur, & causam petendi.

4. Circa causam petendi difficultas esse potest, utrum satis sit exprimere causam proximam, an etiam requiratur expressio causæ re-

motæ?

motæ? Ad intelligentiam & resolutionem difficultatis distinguendum est inter actionem realem, & actionem personalem, de qua divisione fermo est §. *Omnium autem actionum. instit. de actionib.* Actio personalis, quæ etiam conditio appellatur ex l. *Actionum 25. ff. de obligationib.* est per quam in iudicio petimus, ut Adversarius det aliquid aut faciat, ad quod contendimus ipsum esse obligatum ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto vel quasi delicto &c. ut v.g. si in iudicio petas ut Adversarius det 100. ad quod contendis ipsum esse obligatum, ex eo quod ipsi equum vendideris 100. Actio realis, quæ etiam dicitur petitio & vindicatio, est, quando in iudicio contendis, rem, quæ ab Adversario detinetur, esse tuam, petisque ut Iudex declaret esse tuam: unde per hanc actionem proprie & directe non agis ad restitutionem, sed solum ad declarationem juridicam quod res sit tua; quævis deinde post talem declarationem veniat restitutio facienda ex officio Iudicis. Videri possunt Juristæ in cit. rubr. *Instit. de actionib.* ubi etiam varias utriusque generis actionum subdivisiones exponunt.

5. In utroque actionis genere alia est causa remota, alia causa proxima agendi. In actione personali, causa remota est contractus aut quasi contractus, delictum aut quasi delictum &c. unde nascitur obligatio Adversarii ad aliquid dandum

dandum aut faciendum, ut colligitur ex *l. consensu 2. & cit. l. Actionum 25. ff. de obligationib.* Causa autem proxima in eadem personali actione est illa ipsa obligatio nata ex contractu, &c. ut colligitur ex *l. Licet 42. §. Ea obligatio ff. de procurat.* At in actione reali causa proxima agendi est dominium rei; causa autem remota est id, ex quo fuit vel jure gentium vel civili dominium acquisitum, *l. In rem 23. §. 1. ff. de rei vindicat.* ut v. g. quod res fuerit tibi donata ab altero, aut vendita & tradita, aut hæreditariè accepta, &c.

6. His præsuppositis, si agendum sit actione personali, exprimenda est in libello causa remota, v. g. *peto 100. à Titio ex vendito &c.* nec sufficit exprimere causam proximam v. g. dicendo *peto 100. ad qua mihi Titius obligatur*, ut constat ex *c. fin. de libelli oblat. & l. Et an eadem 14. §. Actiones ff. de exceptione rei judicata.* E converso pro actione reali satis est exprimere causam proximam, v. g. si dicas te petere rem *quia illius es dominus.* Ratio disparitatis indicatur in *cit. §. Actiones*: quia scilicet obligatio personalis multiplex esse potest juxta multipliciter causarum unde procedit; adeoque si solum generice exprimatur obligatio Adversarii, nimis incertus esset libellus, nec posset idem Adversarius accepto libello deliberare secum an velit cedere vel contendere: at dominium rei unicum est,

est, adeoque sola ejus expressio incertitudinem non refundit.

7. Ex eodem motivo excludendæ incertitudinis prohibetur in libello alternativa locutio juxta textum in *l. Prætor edixit 7. §. Quod autem ff. de injuriis*. Alternatio enim incertitudinem parit. Aliqui tamen sunt casus speciales, in quibus alternatio libelli à jure permissitur qui videri possunt apud Socin. in *c. 2. de libel. oblat. num. 74.*

8. Sed quid si contingat libellum juridice oblatum jam fuisse ab Actore, sed in ejus forma contineri aliquid ab eodem deprehendatur, quod emendari vel mutari opus sit : numquid est in Actoris arbitrio talis emendatio, vel mutatio? Emendari libellus dicitur, quando salva libelli substantia, aliquod tantum ejus vitium ad substantiam non pertinens, aut obscuritas tollitur, seu quando aliquid additur ipsam libelli substantiam non immutans, ita ut scilicet substantialiter nec res petita, nec causa petendi, nec ratio varietur. Mutari dicitur, quando actio proposita, vel causa petendi mutatur, & alia proponitur, vel factum narratum variatur.

9. Doctrina communis est, posse libellum ab Actore mutari tam in civilibus, quam in criminalibus ante litis contestationem : quia tunc judicium nondum proprie inceptum est; dummodo concedantur Reo aliæ dilationes, & de
damno

damno (si quod ex primo libello passus est)
reddatur securus: post contestationem autem
litis mutari non posse, nisi inchoata alia instan-
tia velit Actor uti alio diverso libello, cum re-
fusione expensarum, juxta *c. Examinata 15. de*
judiciis: è converso tum ante litis contestatio-
nem, tum etiam post contestationem, posse li-
bellum emendari usque ad conclusionem cau-
sæ; puta declarando aliquid obscure dictum,
l. si quis intentione 66. ff. de judiciis, aut diminu-
endo seu augendo summam petitam, §. *Si*
minus Instit. de actionib.

10. Effectus oblatis libelli est, ut secundum
petitionem in eo contentam sit ferenda senten-
tia, *l. Ut fundus 18. ff. communi dividundo*: Et
quamvis si nihil Rei interfit possit Actor libello
oblato, etiam post litis contestationem, à lite
desistere; attamen si Rei interfit cogitur Actor
eam prosequi, alioquin in contumaciam dam-
nari posset, *c. Causam 3. de dolo & contumacia*.

T I T. VI.

De Exceptionibus.

1. **R**Eo per citationem convento pluribus Ju-
ris remediis consultum est, quibus se possit
ab Actore tueri. Inter reliqua sunt exceptio-
nes, de quibus extat in corpore utriusque Juris
expressa rubrica. 2.No-

2. Nomine autem exceptionis hic intelligitur id, quod à Reo contra Actorem opponitur ad elidendam aut differendam ejus actionem, unde ex *l. 2. ff. de exceptionib.* juncta *ibid. Glos. v. intentionem* definitur *Actionis*, vel *intentionis exclusio* Dicitur disjunctivè *Actionis*, vel *intentionis*: quia si quid à Reo opponatur ad excludendam Actoris actionem, ad quam ceteroquin Actor habet jus, nisi ea per exceptionem excludatur; tunc exceptio illa dicitur proprie *actionis exclusio*, ut contingeret v. g. si metu coactus aut dolo aliquid Titio cum stipulatione promiseris, & Titius conveniat te ad implendam promissionem, tu autem contra ipsum excipias de metu vel dolo: in quo casu exceptio tua actionem excludit, quæ de jure competit Titio, quia ex stipulatione obligaris, quamvis etiam à jure tibi concedatur exceptio, ne tu iniquè damneris, & Titius commodum de sua pravitate reportet, ex textu expresso in *§. 1. instit. de exceptionib.* Si autem aliquid opponas ad excludendam actionem, quæ ab Actore intentatur de facto, sed nullatenus illi competit; tunc exceptio dicitur *intentionis exclusio*, ut v. g. si Titius petat à te 100. & tu excipias te jam solvisse: si enim hoc verum est, nulla competit Titio actio contra te, cum extincta sit in te omnis obligatio; adeoque excipiendo non excludis actionem, quæ de jure nulla est, sed solum intentionem Actoris,

ris,

ris, & ideo ab aliquibus talis exceptio vocatur etiam exceptio facti.

3. Exceptionum alia dicuntur dilatoria seu temporales, alia peremptoria seu perpetua, §. *Appellatur instit. eod. & l. Exceptiones 3. ff. eod.* Dilatoria seu temporales sunt quae suspendunt tantum aut differunt, non autem extinguunt actionem, & intentionem Actoris, ut puta si contra Titium agentem contra te ut solvas 100. ad quae obligaris, excipias, inter te & ipsum convenisse, ne intra certum tempus ageretur, veluti intra quinquennium: finito enim tempore non impeditur Actor agere contra te. Peremptoria autem seu perpetua sunt, quae penitus perimunt eandem actionem & intentionem, qualis est in supra allato exemplo exceptio doli aut metus, quo coactus stipulatus fueris, qualis exceptio non limitatur ad certum tempus, sed semper Actoris obstat, & semper rem, de qua agitur, perimit.

4. Rursus exceptionum dilatoriarum aliqua respiciunt personam Judicis, ut v. g. quod Judex non sit competens, aut quod sit suspectus, ad quod genus etiam reducitur exceptio loci, quod non sit tutus &c. & haec dicuntur etiam fori declinatoria. Alia petuntur ex persona Actoris aut Procuratoris v. g. quod sit prohibitus stare in Judicio, aut quod non habeat mandatum procuratorium &c. Alia sumuntur ex persona
Rei,

Rei, v. g. si Reus opponat se fuisse ab actore spoliatum, petatque restitutionem in integrum, antequam petitionibus ejus respondere cogatur, ex *c. Cum dilectus 2. de Ordine cognitionum*. Aliæ demum desumuntur ex ipsius actionis, & causæ qualitate, ut est v. g. exceptio libelli inepti & incerti, exceptio temporis nondum completi ad obligationem solvendam &c.

5. Omnibus dilatoriis exceptionibus commune regulariter est, ut proponi debeant ante litis ingressum, seu ante litem contestatā *c. inter Monasterium 20. de sent. & re jud.* ne scilicet malitiose causarum terminatio prorogetur, *c. Pastoralis 4. de exception.* nisi tamen exceptio aliqua oriatur post litis ingressum, aut nisi notitia alicujus exceptionis superveniat Reo post eundem ingressum, idque juramento asserat, ut decernitur in eod. *c. Pastoralis*. Sed & si quid proponendum sit de genere exceptionis declinatoriæ fori, proponi oportet non solum ante litem contestatam, sed ante omnem aliam exceptionem dilatoriam, ne si alia primo proponatur, videatur Reus acceptare Judicem, adeoque ipsum postea reprobare non possit, ut sumitur ex *c. 1. §. cujus in agendo 3. q. 8. cit. c. inter Monasterium & l. Sed & si suscepit 52 §. 1. ff. de judiciis* junctā ibi *Glos. v. hanc*. Quod enim semel placuit amplius displicere non potest, *c. Quod semel 21. de reg. jur. in 6.*

6. Quod tamen dictum est de exceptionibus dilatoriis, illas regulariter proponi non posse, nisi ante litem contestatam, limitatur quoad exceptionem excommunicationis, quæ quamvis & ipsa dilatoria sit, proponi tamen potest etiam post litem contestatam in qualibet parte litis in prima instantia, ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare cogatur, *c. Exceptionem 12. de exceptionib.* Sed quia inde periculum & occasio nasci posset differendi malitiose exceptionem excommunicationis, ut interim Actor excommunicatus laboribus, & expensis frustra fatigaretur; ideo de Canonica æquitate sancitum est, ut si Reus ita malitiose talem exceptionem opponere differat, in expensis legitimis condemnatur ex eod. *c. Exceptionem.* Adde excommunicationem esse talis generis exceptionem, ut etiam si non opponatur à Reo, attamen publice excommunicatus repellendus sit ex officio Judicis ab agendo, ex eod. *c. Exceptionem.* Quænam autem forma servanda sit in opponenda exceptione excommunicationis, expresse decernitur ac declaratur in *c. 1. de exceptionib. in 6.*

7. Hæc tamen in prima tantum instantia locum habent. Si enim causa cadat Actor, & propterea appellationem interponat, excludi postea non potest à prosecutione appellationis, prætextu excommunicationis, qua fortasse innodatus

nodatus existit : omnis enim legitima defensio, cujus generis est appellationis prosecutio, excommunicato in judicio reservatur juxta textum expressum in *c. Significaverunt* 11. & *c. fin. de exception.*

8. Exceptiones peremptoriæ, quarum proprium est omne jus Actoris prorsus perimere, cujus generis est exceptio solutionis jam factæ, pacti, jurisjurandi, transactionis, præscriptionis &c. tales, inquam, exceptiones id amplius habent supra dilatorias, ut opponi possint etiam post litem contestatam usque ad prolationem sententiæ, *l. Peremptorias* 2. *C. sententiam rescindendi non posse*. Sunt enim defensiones principalis negotii cognitionem contingentes. *c. 1. de litis contest. in 6.* Quin & aliquæ sunt, quas etiã post sententiã definitivam opponi conceditur ut exceptio Senatusconsulti Macedoniani *l. Tamen* § 11. ff. *ad Senatusconsult. Macedon.* aliæque quas enumerat *Glos. ibid.* & *Glos. in l. 1. C. de juris & facti ignor. v. uti.*

9. Inter exceptiones peremptorias aliquæ recensentur, quæ dicuntur litis finitæ, quia si opponuntur ante litem contestatam, & per modum exceptionis declinatoriæ, supposito quod sint liquidæ veritatis, & altiore indagine non requirant, impediunt ingressum litis progressumque judicii : quamvis etiam possint opponi post litem contestatam, & per modum excep-

ceptio-

ceptionis peremptoriæ, in quo casu non impediunt processum iudicii sed rejiciuntur ad merita causæ, & proceditur ulterius in Iudicio. Hujus generis tres numerantur in *c. 1. de litis contest. in 6.* videlicet, *res judicata*, quod scilicet causa fuerit aliàs per sententiam Iudicis terminata: *Transactio*, quod videlicet inter partes composita jam fuerit controversia, aliquo utrinque dato, retento aut promisso: *Res finita*, hoc est quod causa fuerit mutuo consensu partium, (si præsertim juramentum interfuerit,) finita, vel sopita longo silentio, ut explicatur in *l. 1. §. ult. ff. ad Senatusconsult. Tertullian.* Consonat etiam *l. 1. 2. & 7. ff. de jurejurando.* Quæ omnia statuta sunt, ne lites semel terminatæ facile reviviscerent, & quasi in infinitum protraherentur, ut sumitur ex *l. fratris 10. & l. causas 16. C. de transact.*

10. Plures simul exceptiones opponere potest Reus, quia nullus pluribus uti defensionibus prohibetur *c. 20. de reg. jur. in 6. & c. Is qui 5. ff. de exception.* etiam si diversæ sint, ex *l. Nemo 8. ff. eod.* Nec obstat quod actor unica tantum actione experiri possit, juxta *l. Nemo ex his 43. ff. de reg. jur.* Congruit enim rationi, ut favorabilius consulatur Reo qui pro sui defensione pugnat, quam Actori, ut decernitur in *l. favorabiliores 167. ff. de reg. jur. & in c. Cum sunt 11. eod. tit. in 6.*

11. Quia

11. Quia autem quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum c. 61. de reg. jur. in 6. ideo exceptio in favorem Rei introducta, retorqueri non debet in dispendium Rei, quasi Reus exceptionem objiciens, aliquid de principali Actoris intentione confiteatur, ut v. g. si Reus conveniatur à Titio super re, quam Titius contendit ad se pertinere, at Reus in contrarium excipiat, se possedisse illam rem tempore sufficienti ad præscriptionem complendam; per hujusmodi exceptionem non censetur aliquid confiteri de intentione Titii, quod scilicet res ad Titium pertineat, ut habetur in c. exceptionem 63. eod. tit. in 6. & in l. non utique 9. ff. de exception. alioquin exceptio illa duos effectus oppositos pareret, scilicet confessionem & exclusionem unius, ejusdemque intentionis Actoris, quod est impossibile, & contra l. Qui hominem 34. §. ult. ff. de solutionib. juncta ibid. Glos. v. liberatur.

12. Quod si contingat à Reo exceptionem opponi, quæ videatur insufficiens, aut minus justa ad actionem Actoris excludendam; potest Actor se replicatione tueri. Sicut enim actionem excludit exceptio ex parte Rei; ita exceptionem replicatio ex parte Actoris: contra quam replicationem si iterum aliquid excipiat Reus, dicitur duplicatio; quemadmodum & si Actor contra duplicationem aliquid replicet, dicitur tripli-

triplicatio, & sic deinceps, ut constat ex §. 1. *In-
fir. de replication. & l. 2. ff. de exceptionib.* Pertin-
net tamen ad Judicem terminum ponere ne res
in infinitum abeat, ac de Jure Canonico ni-
mia ejusmodi multiplicatio non admittitur, sal-
tem quoad testes productos, quos tertio repro-
bare non licet, ne nimis iudicium protrahatur,
ex *c. Licet dilectus 49. de Testibus.*

T I T. VII.

De mutuis petitionibus.

1. Aliud juris remedium, quo Reo consuli-
tur, est mutua petitio, de qua in Decreta-
libus extat expressa rubrica. Nomine autem
mutuæ petitionis hic intelligitur reconventio
ex parte Rei: quando scilicet Reus viso Actoris
libello ejusque petitione, aliud vicissim ipse pe-
tit, super quo libellum format & eidem Judici
offert, adeoque uterque in eodem iudicio & co-
ram eodem Judice, quoad diversa, constituitur
Actor simul, & Reus.

2. Talis mutua petitio locum habet in omni-
bus causis, ubi non reperitur expresse prohibi-
ta, aut à qualitate causæ non excluditur. Pro-
hibetur autem in causis criminalibus crimina-
liter intentatis: quia ut dicitur in *c. 1. & c. Non
est credendum 3. 3. q. 11.* Non est credendum

P

contra

contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicantur, nisi se prius probaverint Innocentes: quia periculosa est, & admitti non debet Rei adversus quemcumque confessio. Reconventionem tamen de crimine majori non esse per citata jura prohibitam, docet ibidem Gratianus.

3. Prohibetur etiam in causa spoliationis super qua conventus reconvenire, nisi super alia spoliatione, non potest: quia spoliatus ante omnia reliqua est restituendus, *ex c. fin. de ord. cognit.* Item prohibetur in causa appellationis, de qua solum cognoscit appellationis Judex, ut notant DD. in *l. 1. ff. Eum qui appellaverit* &c. Item in executivis, juxta DD. in *auth. & consequenter C. de sententiis & interlocut.* Item in deposito, ut colligitur ex *c. fin. de deposito*, quia contractus depositi, qui ex bona fide oritur, habet executionem paratam. Interdicitur etiam excommunicato, cui omne jus agendi prohibitum est *ex c. cum inter 5. de exception.*

4. Prohibetur demum, quotiescumque qualitas causæ reconventioni repugnat, itaut Judex conventionis de illa causa cognoscere nequeat, ut puta si Reus conventus super causa civili coram Judice laico, reconvenire velit Actorem suum super causa juris patronatus, *quantum 3. de Judiciis*, aut alterius rei spiritualis, super qua, etiamsi partes consentiant, Judex lai-

cus cognoscere prohibetur, ex c. Decernimus
2. eod.

5. In iis autem causis, in quibus reconventio, sive de jure positivo, sive de natura earundem, prohibita non est, fieri debet reconventio coram eodem Judice, coram quo conventio facta est, ne sit in potestate Rei dolose trahere Actorem ad aliud Tribunal, & sic ejus actionem eludere vel distrahere, l. Si idem 11. §. Sed & si mutua ff. de jurisd. omn. jud. & auth. Et consequenter C. de sentent. & interloc. Idque procedit sive conventio facta fuerit coram Judice Ordinario, sive coram Delegato ad petitionem Actoris electo, cujus jurisdictio in tali casu etiam ad causam reconventionis prorogatur: cujus enim in agendo quis observat arbitrium, eum & contra se habere Judicem non debet dedignari, l. cum Papinianus 14. C. eod. & c. 1. de mutuis petitionib. quamvis si Judex delegatus sit ex solo Principis arbitrio, aliquorum sententia sit, non posse ipsum cognoscere de causa reconventionis, nisi in rescripto delegationis talis facultas ei concedatur. Coram Arbitris tamen generaliter reconventio non admittitur, quia Arbitri judicare non valent, nisi de his tantum, super quibus in eos extiterit compromissum, ex c. Cum dilectus 6. de arbitris.

6. Conversi juris est, utrum si Clericus agat contra laicum coram judice laico, reconve-

niri possit coram eodem, non in causa spirituali, aut spirituali annexa, nec in criminali five civiliter five criminaliter intentata : super quibus indubitati juris est non posse Clericum reconveniri coram Judice laico, qui nec principaliter nec incidenter de talibus causis cognoscere potest, ex *c. Tuam 3. de ord. cognit.* sed in causis mere civili? Aliquorum sententia est affirmativa ex *cit. l. Cum Papinianus*, & quia videtur naturali æquitati consonum, ut Reus à Clerico conventus hac etiam ratione tueri se possit contra Clericum Actorem. Probabilior tamen videtur negativa aliorum sententia, ex pluribus textibus apud Gratianum *11. q. 1. & ex c. Si diligens 12. de foro compet.* ubi generaliter prohibetur Clericus etiam volens, nec in causa civili, coram sæculari Judice Reus sit, nulla facta exceptione reconventionis. Nec obstat ratio in contrarium petita ex æquitate naturali : nam plura alia laico non desunt juris remedia, quibus Actore Clerico tueri se possit.

7. Cum autem reconventio introducta fuerit per modum legitimæ defensionis, & æquitate consentaneum sit, ut quod Actori licet in agendo, Reo etiam pro sui defensione permittatur, ut decernitur in *c. non licet 32. de reg. jur. 1. 6. & l. Non debet 41. ff. eod.* ideo de Canonica reconventiono sancitum est, ut conventio, & reconventio pari passu procedant, ut puta si actor

contra Reum agat obtentis litteris ut procedatur appellatione remota; Reus etiam Actorem reconueniens jus habet ut in causa reconventionis procedatur contra Actorem appellatione remota, juxta textum in *c. Prudentiam ult. de mutuis petition.* quod enim quisque juris in alterum statuit, ipse debet eo uti, *c. Cum omnes 6. de constit. & l. 1. ff. Quod quisque juris in alterum statuerit & c.*

8. Ex eadem ratione debet utraque causa simul cognosci, & si de utraque liqueat, una sententia terminari, ex *c. 1. de mutuis petition.* una (inquam,) quia ex una scriptura proferri debet, ita ut primo scriptum sit & legatur caput conventionis, ac deinde immediate caput reconventionis, quamvis si res ipsa attendatur, sententia illa dicenda sit duplex, quia tot sunt sententiæ, quot sunt causæ species, quemadmodum de stipulationibus dicitur in *l. Scire debemus 29. ff. de verbor. obligationib.*

9. Item ex eadem ratione cogitur Actor respondere libello reconventionis, supposito quod velit cogi Reum ad respondendum libello conventionis, ita ut vel uterque vel neuter actioni contra se intentatæ respondere teneatur, ex cit. *c. 1. de mutuis petition. & l. Actionem 5. C. de procurat.* Quod si Judex hac naturali æquitate neglecta causam reconventionis omitat, & super sola conventionione procedat, valebit

sententia, sed Reus habebit causam justam appellandi ex l. 1. in fine ff. qua sententia sine appellat. rescindantur.

10. Tempus proponendæ reconventionis est ante vel statim post litem contestatam, ut possit causa conventionis simul & reconventionis eodem iudicio terminari, ex *auth. de executoribus cap. 2. §. sancimus* juncta *ibid. gl. v. mox*. Quod si serius proponatur in progressu litis, controversatur inter Doctores utrum de jure Canonico admittenda sit, si non ad effectum ut utraque causa simul tractetur, & terminetur; saltem ad effectum ut postquam expedita fuerit causa conventionis, statim fiat ab eodem Iudice transitus ad causam reconventionis, prorogata (si opus sit) ejus jurisdictione. Innoc. in c. 1. *de mutuis petit.* in eam sententiam videtur inclinare, quæ docet posse opponi reconventionem in progressu iudicii usque ad sententiam, eandemque opinionem sequitur etiam *Gl. in eod. c. 1. v. respondere*. Panor. tamen alique ab ipso relati in cit. c. 1. num. 12. & 13. oppositum sentiunt. Videri possunt Doctores isti in loco citato.

T I T. VIII.

De Restitutione Spoliatorum.

1. DICTUM fuit, Agentem super causa spoliationis, ac petentem restitui, non posse à spoliatore reconveniri nisi super alia spoliatione, quia ante reliqua omnia spoliatus restituendus est per sententiam Judicis. Quia tamen hac in re sunt nonnulla specialiter in utroque Jure statuta; ideo ponitur specialiter præsens titulus.
2. Spoliatus hoc loco ille dicitur, qui possessione, vel quasi possessione cujuscumque rei, immobilis aut mobilis, corporalis aut incorporalis, violenter & injuste dejectus est. Dicitur disjunctive *possessione, vel quasi possessione*, quia incorporalia, qualia sunt jura, servitutes &c. dicuntur *quasi possideri*.
3. Cum autem sit æquitati consonum ut specialibus, & extraordinariis remediis à lege succurratur oppressis, ex l. 1. §. 1. ff. de vi, & de vi armata; ideo de juris utriusque statuto plura competunt spoliato remedia ad recuperandam suarum rerum possessionem. Vel enim rei alicujus mobilis possessione injuste spoliatus est; vel possessione aut quasi possessione rei immobilis. Si primum, competit ei actio *Vi bonorum raptorum*, vel actio *ad exhibendum*, juxta textum in

cit. l. 1. §. hoc interdictum vers. illud utique in dubium, de quibus actionibus extant expressæ rubricæ in libris digestorum. Nomine actionis *vi bonorum raptorum* intelligitur actio, per quam coram Judice petitur, ut violentus spoliator restituat, & si eadem intentetur intra annum, petitur restitutio in quadruplum, ex l. 1. ff. *vi bonorum raptorum*. & §. 1. *inst. eod.* Nomine actionis *ad exhibendum* venit actio, per quam coram Judice petitur, ut spoliator, seu injustus possessor rem exhibeat, idest in publicum deducat, ut fiat Actori copia eam videndi, & apprehendendi, quo possit in judicio probare rem esse suam, ex l. 2. ff. *ad exhibendum*.

4. Quod si rei alicujus immobilis possessione aut quasi possessione fuerit aliquis spoliatus, habet de jure civili privilegium interdicti *Unde vi*, ita dicti, quia prima edicti verba, quibus statutum est, sunt *unde tu illum vi dejecisti*, ut videre est in cit. l. 1. ff. *de vi & de vi armata*. Mediantem hoc interdicto, agere potest spoliatus, ut ante reliqua omnia restituatur ab eo, qui per se, vel per alium spoliaverit, aut etiam spoliationem ratam habuerit, ita ut spoliator ejusmodi nulla se possit exceptione tueri, nec illi prodesse possit intentare judicium petitorium, quo contendere velit rei dominium ad se pertinere: quia cum nemini liceat propria autoritate rem ab alio possessam occupare, prius ad restituendum cogitur,

gitur, quàm super proprietate in iudicio audia-
tur, ex c. 1. de restitut. spoliator. Idque procedit,
sive possessio illa qua Actor spoliatus est, fuerit
solum possessio naturalis, sive solum possessio
civilis, ex cit. l. 1. §. de jicitur ff. de vi, & de vi ar-
mata, sive justa, sive injusta, c. in litteris §. de re-
stit. spoliat. Neque quidquam spoliantem juva-
bit, quod post spoliationem ab eo factam spo-
liatus renuntiaverit rei qua spoliatus est: quia
non est verisimile quòd spontè juri suo renun-
ciaverit, qui renunciat spoliatus, c. 2. eod.

5. Vigore hujus interdicti, restituenda ve-
nit non solum res ablata, sed etiam omne dam-
num inde causatum, sive ea salva sint, sive non,
ex cit. l. 1. §. quod autem vers. rectissime, & c. gra-
vis 11. de restit. spoliat. unde si quis fundi posses-
sione, vel domus dejectus fuerit, ubi aliqua
mobilia reperiebantur, quæ post spoliationem
perire contingat, eorum omnium nomine tene-
bitur spoliator, etiamsi ad spoliatorem ea non
pervenerint, ut etiam sumitur ex l. merito 19. ff.
de vi & de vi armata; si tamen spoliatus eam
actionem intentet intra annum: quia si post
annum differat, non fruitur privilegio interdi-
cti, nisi quoad ea quæ ad spoliatorem pervene-
runt, ut constat ex textu ejusdem interdicti pro-
positi in cit. l. 1. ff. eod. mora enim sua cuilibet est
nociva c. 25. de reg. jur. in 6. Quod intelligendum
est quoad actionem in foro externo, & attento

rigore juris civilis : quia in foro conscientiae Spoliator injustus non liberatur obligatione restituendi ea in quibus damnum intulit, licet ad ipsum non pervenerint, ut sumitur extoto Decretal. tit. De injuriis & damno dato, non obstante quocumque longi temporis cursu: quia diuturnitas peccati, peccati malitiam non excusat, cum potius peccata tanto sint graviora, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, c. fin. de consuet.

6. Spoliatus agens hoc interdicto, quo probare debet : se videlicet habuisse possessionem tempore spoliationis, & de possessione se fuisse dejectum ab eo, contra quem agit, aut de ejus mandato, aut saltem eum ratam habuisse spoliationem ab alia persona factam, ut constat ex cit. l. ff. de vi & vi armata, sumiturque etiam ex c. ex parte 14. & c. cum ad Sedem 15. de restit. spoliat. Horum alterutro in probationibus deficiente, locum non habet privilegium interdicti unde vi, sed alia via, alioque actionis genere procedendum erit. Inde est quod si laicus Ecclesiasticum beneficium injuste detinuerit, fueritque eodem ab aliqua persona privatus, non potest agere interdicto unde vi ad recuperandam antea omnia reliqua ejusdem beneficii detentionem, quia proprie beneficio spoliatus, seu de beneficii possessione dejectus non fuit, cum sit incapax laicus habendae possessionis beneficiorum,

ut sumitur ex *c. causam 7. de prescript. & l. qui
universas 30. §. possessionem ff. de acquirenda pos-
sess.* Idem juris est si quis mulierem domum su-
am traduxerit: animo habendi eam in uxorem,
ita tamen ut nulla prorsus sponsalia cum ea ce-
lebraverit: in quo casu si mulier illa discedat,
non potest vir tamquam spoliatus agere inter-
dicto *unde vi* ad eam recuperandam, quia per
solam translationem absque sponsalibus præce-
dentibus, aut subsequentibus mulieris posses-
sio acquisita non fuit, ut deciditur in *c. ex parte
14. de restit. spoliat.*

7. Prædicta regula de recuperanda ante reli-
qua omnia possessione, quæ beneficio interdicti
unde vi introducta est in favorem spoliati, pati-
tur aliquas limitationes. Inter reliquas ea est
quæ decernitur in *c. litteras 13. eod.* si videlicet
contra petentem restitutionem conjugis oppo-
natur consanguinitas in gradu prohibito, ejus-
que probationes offerantur paratæ: tunc enim
ad avertendum animæ periculum, negabitur ea
restitutio quoad thorum, priusquam de consan-
guinitate cognoscatur. Idem quoque servatur,
si ex restitutione magnum scandalum timeatur
secuturum, ut puta si agenti possessorio ad recu-
perandam uxorem, opponatur magna ejusdem
in uxorem sævitia, de qua prius cognoscendum
erit, quam uxor restituatur *c. ex transmissa
8. eod.*

8. Item à regula excipitur, qui aliquem spoliatus statim ab occupata possessione repulsus est: in eo enim casu ille spoliatus spoliatus non potest agere interdicto *unde vi*, quia non tam spoliatus quàm à spoliando impeditus censendus est, & ita statuitur in *c. olim. 12. eod.*

9. Controversi juris est utrum privilegium interdicti *unde vi*, competat etiam manifesto prædonii, ita ut si ipsum re prædata spoliari à domino contingat, agere possit possessorio, quo mediante fit ante omnia restituendus, non obstante exceptione dominii, quæ à domino spoliatore proponatur.

10. Probabilior hac in re eorum sententia videtur, qui negant tale privilegium manifesto prædonii, cujus efficax argumentum desumitur ex *c. fin. de restit. spoliat. in 6.* ubi injustus possessor spoliatus ab eo, ad quem de jure communi re pertinere manifestum sit, dicitur non esse ante omnia restituendus; quod non alia ratione procedit, nisi quia clarum est, cum injuste possedisse, & spoliantem esse dominum manifestum. Neque in contrarium facit, quod in *c. in litteris 5. de rest. spoliat.* dicatur etiam prædo restituendus, & quod in *c. porro 3. de divortis* decernatur, virum esse restituendum conjugii, quæ ipse privata autoritate, & absque judicio Ecclesiæ dimiserat ex motivo publicæ, & notoriæ consanguinitatis, quæ inter ipsos intercedebat; ad utrū-

que

que enim respondetur facile: primum posse restitè explicari de prædone non notorio; alterum autem esse speciale pro illo particulari casu, in quo agebatur de dissolvendo matrimonio, quod propter gravitatem materiæ attentari non debet sine Ecclesiæ iudicio, ante quod mulier in casu objectæ consanguinitatis est restituenda viro, quo ad thorum, ut supra dictum est num. 7. sed solum quoad alia obsequia conjugalia. Videri potest Sanch. *matrim. lib. 10. disp. 12. num. 38.*

II. Demum, omiſſis reliquis, excipitur à regula casus, in quo ipse spoliatus expressè, vel tacitè consentiat, ut de exceptione proprietatis aut domini, quod sibi competere spoliator asserit, cognoscatur, antequam fiat restitutio, ex c. 1. de restit. spoliat. Spoliatus enim potest cedere juri suo ac privilegio, quod est directè in ejus favorem introductū. Poterit itaq; tunc utrumque simul iudicium cumulari, videlicet & possessorium & petitorium coram eodem Iudice una sententia terminandum, supposito quod neutrius causæ cognitio sit extra Iudicis potestatem: ita tamen ut priùs de possessorio pronuntietur, sed in executione prævaleat petitorium, & ex cap. cum dilectus 6. de causa possess. & propriet. quemadmodum universaliter servari debet quotiescumque possessorium cum petitorio concurrat, sive agatur interdictio acquirenda

dæ possessionis , hoc est quam nunquam Actor habuit ; sine interdicto retinendæ , hoc est quam habet , sed in ea turbatur ; five demum interdicto recuperandæ , quam scilicet habitam amisit. Quare si in prædicto casu spoliatus possessionem , & spoliationem probet , non autem proprietatem aut dominium ; obtinebit in possessorio , sed causa cadet in petitorio : adeoque cum sententia petitorii in executione prævaleat , restituendus non erit , ut colligitur ex *c. cum super 4. de causa possess. & propr.* juncta *ibid. Glor. v. restituendum.*

12. Dixi *supposito quod neutrius cause cognitio sit extra Judicis potestatem* : quia quandoque contingit , Judicem posse dumtaxat ea quæ possessionis sunt cognoscere , non autem ea quæ proprietatis , ut puta quamvis Judex delegatus , cui in genere commissa sit causa cognoscenda , aut etiam in specie causa proprietatis , possit nihilominus etiam causam possessionis cognoscere , quia proprietas utpote magis digna trahit ad se possessionem ; attamen delegatus cui commissa sit in specie cognoscenda causa possessionis , non potest causam proprietatis assumere , ut docet *Gloss. in cap. Pastoralis 5. de causa poss. ff. & propriet. v. causa non decisa* , in fine ; adeoque non poterit coram eo petitorium cum possessorio cumulari : nisi tamen proponatur per modum reconventionis ubi proponi non

non prohibetur, in quo casu jurisdictio Judicis prorogatur, ut supra dictum fuit tit. 7. ubi de mutuis petitionibus.

13. Præter interdictum *unde vi* statutum à jure civili, & à Sacris Canonibus approbatum, de quo hætenus dictum est, competit quoque spoliato aliud remedium recuperandæ possessionis introductum à Jure Canonico in *cap. sæpe contingit 18. de restit. spoliat.* cujus summa in eo est, ut spoliatus agere possit contra quemcumque, qui spoliationis non ignarus rem sive ab ipso spoliatore, sive à quolibet alio recipit, & ab eodem fit ante omnia reliqua, etiamsi non probet dominium, restituendus, cum cæteroquin mediante interdicto *unde vi* agere non posset nisi contra spoliatorem, aut contra eum qui spoliationem mandavit, aut eandem ratam habuit. Æquitas hujus extensionis canonicæ indicatur in *eod. cap. sæpe contingit*: quia scilicet quoad periculum animæ non multum interest injustè detinere, ac invadere alienum; qui autem recipit scienter rem ab alio spoliatione subtractam, cum sit malæ fidei possessor, injustè detinet.

14. Quæstionis est utrum de jure Canonico detur spoliato simile remedium restitutionis etiam non probato dominio, contra tertium possessorem bonæ fidei, & spoliationis nescium, in cujus manus res quomodocumq; bona ipsius
fide

fide pervenit. Plerique Doctores affirmant ex *c. redintegranda 3. & 4. cau. 3. q. 1.* ubi generalibus verbis dicitur redintegranda esse omnia exspoliatis, vel ejectis Episcopis, nulla facta distinctione utrum res repetatur à bonæ, vel malæ fidei possessore, quorum Canonum statutum, quamvis expressè solum loquatur de Episcopis spoliatis, attamen ex usu & paritate rationis extendunt ad quemlibet alium spoliatum. Non deest tamen qui oppositum sentiat, ut videre est apud Zoef. *de restit. spoliat. n. 5.*

15. Hactenus dicta procedunt, cum spoliatus intentat primus coram Judice actionem spoliationis ad recuperandam rerū suarum possessionem. Quod si contingat ipsum spoliatum conventum prius fuisse coram Judice super aliqua causa, & sive per modū reconventionis, sive per modum exceptionis, spoliationem sibi factam reponat; quæritur quid juris in tali casu servandum sit?

16. Respondetur. Vel spoliatus conventus fuit super causa criminali, vel super causa civili. Si super causa criminali, & spoliatio reponatur ab ipso per modum reconventionis, seu in viam actionis; tunc criminali suspensa, debet spoliatus per sententiam Judicis prius restitui, sive spoliatio facta fuerit ab accusatore, sive ab aliquo tertio, dummodo sit spoliatio totius substantiæ aut majoris partis ipsius, ne scilicet

nu-

nudus, & inermis opponatur Reus accusatori suo: in quo casu conceditur eidem Reo quindecim dierum spatium ad spoliationem probandam; alioquin in expensis, quas interim actor ob hoc fecerit (judiciali taxatione prohibita) condemnabitur: aliàs (si Judici æquum visum fuerit) puniendus. Sumuntur hæc ex *c. 1. de restit. spoliat. in 6.*

17. Idem juris est si spoliatus conventus fuit petitorio super causa civili, & super eadem re per modum actionis, spoliationem reponat, quam ab ipso Actore passus est: procedi enim tunc quoque debet in solo possessorio, suspensio petitorio, & probata spoliatione decerni debet à Judice restitutio antequam petitorium cognoscatur, ut patet ex *c. Ex conquestione 10. de restit. spoliat.* Secus accidit si petitorium primò intentatum, & possessorium postea repositum super re diversa procedant: cum enim tunc intelligantur factæ mutuæ petitiones, sese tamquam diversæ minimè contingentes, procedendum simul erit in utroque, eademque sententia utrumque terminandum, ut expressè habetur in *c. Cum dilectus 2. de ordine cognit.* Item secus accidit si Reus civiliter ab Actore conventus spoliationem reponat, quam non ab ipso Actore, sed ab alio tertio passus est: quia tunc non obstante spoliationis objectu, Judex procedere debet in causa ab Actore primitus intentata,

tata ex cit. *cap. 1. de restit. spoliat. in 6.* cum non debeat Actor in eo damnum pati, ubi nihil peccavit.

18. Si autem spoliatio objiciatur à Reo non in viam actionis aut reconventionis contra Actorem, sed solum per modum exceptionis, tunc probationes ejusdem audiendæ primo erunt, & ea legitimè probata, non cogetur Reus respondere petitionibus Actoris, donec ab ipso restituatur: De ea tamen restitutione faciendâ non est à Judice ferenda sententia, ex cit. *cap. Cum dilectus*: quia scilicet sententia non fertur, nisi super eo de quo actum est seu secundum petitionem in libello oblato contentam. *l. Ut fundus 18. ff. communi dividundo*; de spoliatio autem actum non fuit, nec oblatus libellus, sed solum exceptum, cum non fuerit proposita per modum actionis, sed dumtaxat per modum exceptionis dilatoriæ ad intentionem Adversarii repellendam.

T I T. IX.

De Litis contestatione, & de Juramento calumnia.

1. **E**Xpeditis iis, quæ judiciorum quodammodo præparatoria sunt, agendum est de substantialibus judicii partibus, ac primo de litis ingressu, qui consistit in contestatione liris, voca-

vocata propterea basis & fundamentum judicii, ut sumitur ex §. *Omniem vers. si verò apud Judicem Auth. de litigios. coll. 8.* juncta *ibid. Gloss. v. initium*, sine qua totus processus judicialis irritus esset, & sententia Judicis nulla, ex *cap. un. de litis contest.*, & *l. Prolatam 4. C. de sentent. & interloc.* juncta *ibid. Gloss. v. solitum Judiciorum ordinem.* Quod tamen intelligendum est regulariter, seu extra casus exceptos, quorum aliquos supra memoravimus in hoc *lib. 3. tit. 4. n. 9.* & *10.* nec non pro judiciis Ordinariis, quia sic procedatur simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura judicii, litis contestatio, non requiritur, uti nec plures aliarum judiciorum solemnitates, juxta textum expressum in *Clem. 2. de verb. signif.* Videri potest *Abb. in cap. Quoniam frequenter 5. Ut lite non contest. n. 4.*

2. Fit autem contestatio litis per petitionem Actoris coram Judice propositam in libello, & per responsum Rei negativam ejusdem petitionis, animo litigandi factam, qui animus semper præsumitur etiam si expressè non declaratur, quoties ejusmodi petitionem aut responsum non statim subsequitur protestatio in contrarium, ut tradit *Rota de litis contest. dec. 12. in antiq.* Inde est, quod per solam facti expositionem, seu per positiones & articulos ad solam facti seriem pertinentes ab Actore propositos, Reique responsum illis datam, non intelligitur lis contestata, *cap. un. de litis*

litis contest., quia sola facti narratio non est petitio aut negatio petitionis ; & propterea ejusmodi positiones & articuli proponi solent, postquam Actor suam in jure petitionem oblato libello exposuit, eandemque petitionem Reus in jure negavit.

3. Inde etiam est quod si Reus contra petitionem Actoris dumtaxat excipiat, sive in genere exceptionis dilatoriae, sive etiam in genere peremptoriae, non intelligitur lis contestata, ex *c. Si oblato. de litis contest. in 6.* Qui enim taliter excipit, non respondet neque contradicit Actoris petitioni, sicut ad litem contestandam requiritur. Dixi *dumtaxat excipiat*: secus enim accideret si non sisteret intra limites purae exceptionis, sed insuper directe responderet Actoris libello, negando ejus petitionem, ut puta si Actor oblato libello petat coram Judice restitutionem pecuniae, quam mutuavit tibi; tu autem respondeas, te non teneri, & petitionem Actoris non esse implendam, eo quod ipse Actor pactus fuerit se pecuniam illam non petiturum. Ita excipiens, non pure exciperes, sed exceptionem cum responsione ad libellum cumulares, adeoque litis contestatio facta esset: & pro simili casu procedunt aliqua jura ex quibus colligitur contestari litem objectu alicujus exceptionis, ut docet & explicat Glos. in cit. *c. Si oblato. facta.*

4. Quana-

4. Quamvis tamen exceptio à Reo objecta non faciat contestationem litis, illam non impedit; imo ut dicitur in eod. c. *Si oblato*, ea exceptione non obstante, eandem contestationem fieri oportebit: nisi tamen sit exceptio spoliationis ab Actore commissæ circa illam ipsam rem, de qua est ejusdem Actoris petitio, in quo casu non cogitur Reus respondere petitioni Actoris, donec ab ipso restituatur, ut dictum est in *tit. preced.* aut nisi aliqua ex illis tribus exceptionibus objiciatur, quæ dicuntur litis finitæ & impediunt litis ingressum, videlicet transactio, lis finita, & res judicata, quas supra explicavimus in *hoc libro 3. tit. 6. n. 9.* aliqua enim illarum objecta, etiam Reus non cogitur Actoris petitioni coram Judice respondere, ut ibidem explicatum est.

5. Litis contestatio fieri potest non solum immediatè per principales, sed etiam per eorum procuratores, ut habetur ex c. *Cum ad Sedem 15. de restit spol.* modo eorum responsio à principali eadem die non revocetur, c. *Cum causam 62. de appel.*

6. Effectus litis contestatæ plurimi sunt. Post illam enim non datur amplius locus exceptionibus dilatoriis, nisi ex causa postea emergente, aut ante Reo incognita, ut supra dictum fuit in *hoc lib. 3. tit. 6. n. 5.* Item actio & jurisdictio Judicis perpetuatur, exceptis quibusdam casibus

bus videndis apud Panor. in *cap. fin. de off. Jud. num. 8.* Inducitur quasi contractus inter litigantes, ut neuter altero invito possit à lite recedere, ut colligitur ex *l. Licet 3. §. Idem scribit ff. de peculio.* Revocari non potest sine justa causa Procurator invitus, *cap. Quamvis 2. de Procurat. in 6.* nec mutari libellus, ut suis in locis supra dictum fuit. Demum omissis aliis videndis apud Juristas, contestata lite deveniri potest ad testium examinationem, & definitivam sententiam, quod ante prohibitum regulariter est, ut patet ex toto Decretal. tit. *Ut lite non contest.* exceptis casibus, de quibus diximus in *hoc lib. 3. tit. 4. n. 9. & 10.*

7. Hoc tamen quod ultimo loco dictum est, de testibus ante contestationem litis non examinandis, non est generale, sed regulariter tantum obtinet, ut constat ex *cap. fin. Ut lite non contest.*, ubi aliqui casus ab ea regula excipiuntur. Talis est, si de morte testium timeatur, vel absentia diuturna, in quo casu ne probationis copia casibus fortuitis subtrahitur, ipsi testes etiam lite non contestata admitti poterunt, eorumque attestaciones pro suscipienda lite valebunt: dummodo tamen Actor Adversarium intra annum conveniat, aut saltem receptionem hujusmodi testium illi denunciet. Alii casus excepti videri possunt in *eod. c. fin. fuse declarati.*

8. Factam litis contestationem subsequi regulariter debet juramentum calumniae, juxta praescriptum Sacrorum Canonum, qui hac de re extant in Decretal. sub expressa rubr. *de juramen. calum.* Extat quoque similis titulus in Cod. videlicet, *de jurejur. propter calumn. dando.* Eo autem nomine intelligitur juramentum, quo litigantes jurant se in judicio bona fide & absque fraude atque calumnia, sive agendo, sive respondendo, sive excipiendo processuros, ut sumitur ex *l. 2. Cod. eod.* unde vocatur etiam juramentum *credulitatis*, ad differentiam juramenti veritatis, quod est de veritate dicenda, & dicitur juramentum scientiae, quod solum olim praestabatur in causis spiritualibus & his annexis, ex *c. Litteras 2. de juram. calumn.* sed postea statutum fuit ut etiam in causis spiritualibus praestari debeat juramentum tam de veritate dicenda, quam de calumnia, juxta textum in *c. 1. §. fin. eod. tit. in 6.*

9. Quamvis tamentale juramentum calumniae praestari debeat, non est ita necessarium, ut eo omisso sit irritus aut irritandus processus judicialis, & sententia Judicis, supposita quod alias legitime processum fuerit, ex *cit. cap. 1. §. propter omissum. de juram. calum. in 6.* quia scilicet non est de substantia processus judicialis, quamvis fortasse de jure civili olim aliter obtinuerit, ut desumi videtur ex *cit. l. 2. §. Sed quia.*

quia. cap. de jurejur. propter calum. dan. Quod si Actor, præsertim à Reo requisitus, illud subire recuset, punitur amissione causæ; si autem Reus, habetur pro confesso, ex cap. ult. §. fin. de juram. calum. ita tamen ut pro tali poena subeunda requiratur sententia Judicis, ex auth. Principales §. Si quis autem. C. de jurejur. propter calum.

10. Quod dictum est de obligatione subeundi juramentum calumniæ, exceptionem patitur in Clerico, qui Ecclesiæ suæ causam agat: is enim inconsulto proprio Prælato idem juramentum subire non debet, & Episcopus inconsulto Rom. Pontifice, ex c. 1. de juram. calumn. quamvis si propriam causam agat Clericus, tali privilegio non fruatur, juxta textum in c. Ceterum §. eod.

T I T. X.

De probationibus.

1. Solent frequenter litigantes tam in exordio quàm in progressu judicii negare positiones, aut intentionem aliquam Adversarii, unde nascitur necessitas probationis, sine qua nihil evinceretur, quia Actore non probante Reus absolvitur, l. Qui accusare 4. C. de edendo, & cap. un. Ut Ecclesiastica benef. sine dimittit.

minut. confer. Propterea absolutis iis, quæ pertinent ad ingressum judiciorum, agendum consequenter hic est de probationibus, primo in genere, quod in hoc titulo præstabitur, postea in specie, quod in sequentibus titulis expedietur.

2. Probatio generatim, prout hic sumitur, est actus judicialis, quo per testes, aut instrumenta, aut alia argumenta idonea fit Judici fides de eo, quod in controversiam deductum est, ut sumitur ex *c. ex litteris 3. de probationib.* in iis verbis *ad cognitionem Judicis instruendam.* Alia est artificialis, alia inartificialis. Artificialem vocant, quæ arte & industria probantis ex ipsa causa circumstantiisque deducitur, unde vocatur etiam insita, qualis est v. g. præsumptio, quæ nascitur ex circumstantiis facti. Inartificialem appellant, quæ extrinsecus advenit, puta ex testibus, ex instrumentis, &c.

3. Utraque subdividitur in plenam, & semiplenam. Prima est quæ plenam fidem Judici facit, ita ut ea posita possit ferre sententiam, & nullo alio ulterius requisito, controversiam definire, qualis est v. g. quæ fit per rei evidentiam, per judicialem partium confessionem, aut per plures testes omni exceptione majores, id est quorum autoritas ex nulla legitima causa elevari potest. Altera est, quæ plenam fidem non facit, quamvis sit quoddam admini-

Q culum

culum probationis, talis est v. g. quæ fit per unicum testem omni exceptione majorem, aut per confessionem extrajudicialem, aut per comparisonem seu perfectam similitudinem scripturarum &c.

4. Tam Actori quam Reo incumbit onus probandi fundamentum intentionis suæ: unde Actori probanda est petitio, suusque libellus, reliquaque omnia, quibus petitionem & libellum sustinere contendit; Reo autem probanda est exceptio, quam objicit ad elidendam aut differendam intentionem Adversarii. Quod si Reus contra petitionem Actoris nihil aliud opponat, nisi negativam vagam, indefinitam, & simplicem absque ulla restrictione certi temporis, aut loci, aut alterius circumstantiæ, ut puta si neget se contraxisse &c. cum talis negativa indefinita, & vaga non possit ullatenus probari, juxta textum in *cap. Bonæ 23. de elect.* & *l. Actor. 23. Cod. de probat.* non cogitur Reus suam hanc responsionem probare, sed totum probandi onus rejicit in Adversarium. Secus contingeret si responsio Rei negativa alicui certæ circumstantiæ esset alligata, aut aliquid expressè vel tacitè affirmaret, ut est exemplum in *cap. Super hoc 5. de renunc.* in negante se spontè renunciaisse aliquod beneficium, quia ut ibid. explicat Gloss. *v. negat, non sponte renunciaisse*, includit in se hanc affirmativam, *coactum*
renunci-

renunciasse, quam probare debet qui taliter excipit. Aliud quoque exemplum habes in *l. Si filius* 8. ff. de probat.

5. Probatio debet esse clara & certa, ut sumitur ex *cap. In presentia* 8. de probat. & si agatur in criminalibus, ubi majus Rei præjudicium est, luce expedita clarior sit necesse est, ut dicitur in *l. fin. Cod. eod.* Nec sufficit probasse genus, nisi insuper probetur & species in iudicium deducta, ut puta ad probandam alicujus subjectionem, non sufficit probare solutionem tributi ab eo factam, quia solutio tributi genericum quiddam est, & indifferens ad subjectionem ostendendam, cum solvi interdum soleat tributum ratione protectionis, ut patet ex *cap. Recepimus* 8. de privileg.

8. Facienda autem est post litem contestatam, imo & post articulos seu positiones ab Actore propositas, quia tunc intelligitur inceptum iudicium, & cognoscitur quid negetur à Reo. Pro qua re sciendum est, antiqui juris fuisse, ut post litem contestatam, antequam deveniretur ad aliquod genus probationum, proponerentur ab Actore quædam interrogationes faciendæ Reo, quibus ipse Reus coram Iudice respondere tenebatur, ut constat ex toto tit. ff. de interrogat. in jure facien. &c. Postea tamen usus obtinuit, ut procederetur per positiones seu articulos, quo nomine intelliguntur

Q 2

bre.

breves quædam verborum formulæ mentem Actoris continent & versantes circa factum, quorum initium sic esse solet: *Ponit Tertius Actor primò. Ponit secundo &c.* unde dicitur sunt positiones, de quibus sermo est in *cap. fin. de Confess. in 6.* Ejusmodi singulis positionibus tenetur Reus clarè & simpliciter respondere, ita ut si id absque rationabili causa recuset, aut nolit, seu contumaciter se absentet, pro confesso haberi debeat super iis, de quibus in eisdem positionibus interrogatus extitit, ex *eod. cap. fin.* Si autem illarum aliquas confiteatur, liberat Actorem ab earundem probatione: sicut è converso positiones, quas Reus negat dicuntur articuli probatoriales, quia ab Actore proponente probandi sunt.

7. Quod tamen dictum est de probationibus ante litem contestatam & positiones propositas non faciendis, limitationem patitur in casu, quo probatio sumenda sit à Testibus, de quorum morte vel absentia diuturna probabiliter timeatur, ut dictum est in *tit. preced. n. 7.* aut in quo probanda sit à Reo exceptio aliqua dilatoria, quæ ut ante litem contestatam proponitur, ut supra explicatum est in *hoc lib. 3. tit. 6. m. 5.* ita & ante eandem probari debet.

8. Quod si probatio facta non fuerit usque ad quartam productionem testium aut ante publicata testimonia, aut conclusionem in causa,

sa, non erit postea super eisdem articulis admit-
tenda, ex *c. juravit 6. de probat. cum venisset 25.*
de testib. & ex Auth. At qui semel Cod. de probat.
In articulis tamen postea emergentibus admit-
titur, *c. fraternitatis 17. & cit. c. cum venisset 25.*
de testib. quemadmodum, & in casu notitiæ
post publicata testimonia supervenientis, ex qua
desumi possit legitima probatio, ut constat ex
c. ex tenore 35. cod. sed de his paulò infrà sermo
erit, ubi in specie de Testibus.

9. Ordo servandus in probationibus talis
est, ut Actor primò probet intentionem suam
& postea Reus in suis exceptionibus, earum-
que probationibus audiatur, ex *l. exceptionem*
19. Cod. de probat. Nisi tamen Actor in sua pro-
batione deficiat: quia tunc Reus ab omni pro-
bandi onere liberatus absolvitur, *l. quia accu-*
sare 4. C. de edendo, & c. un. ut Ecclesiast. benef.
sine diminut. confer. Idem Juris est, si Actore
non probante, adhuc sponte sua velit Reus suam
exceptionem probare, quia non per hoc firma-
tur Actoris intentio: dummodo tamen exce-
ptio talis non sit, per quam expressè, vel tacitè
debitorem se esse fateatur; quia in tali casu, non
probata exceptione, videtur firmata Actoris
intentio per confessionem Rei, ex traditis à
Cuiac. oper. posthum. tom. 4. ad tit. C. de probat. circa
initium.

T I T. XI.

De Confessis.

1. QUOD autem pertinet ad particulares probationum species, consideranda primum ea est, quæ fit per judicialem Adversarii confessionem, cum sit omnium efficacissima, de qua sermo est in utroque Jure sub expressa rubrica *de confessis*.

2. Dicitur autem judicialis confessio ea, quæ fit in judicio, & coram Judice competenti, ad differentiam confessionis extra judicium factæ, quæ extrajudicialis appellatur. Utraque fieri potest, vel tacite, vel expresse. Tacite fit, quando aliquid dicitur, aut agitur, aut ommittitur, cui omissioni, aut actioni, aut dicto, vel ex natura rei, vel per juris interpretationem est annexa confessio, ut puta in exemplo allato *tit. preced. num. 6.* si post præstitum veritatis aut calumniæ juramentum, Reus vel Procurator ipsius positionibus ab Adversario sibi factis interrogatus, jussusque à Judice respondere, absque rationabili causa recuset, aut nolit, seu contumaciter se absenter, habetur pro confesso, quia jus talem contumaciam ita interpretatur, ut patet ex *c. fin. de confess. in 6.* Expressa autem confessio est, quando fit verbis expressis, & aperte declarantibus confessionem.

3. Quo

3. Quo ad efficaciam probationis multum discriminis est inter confessionem judicialem, & extrajudicialem. Confessio enim judicialis plenam fidem facit de eo quod quis confessus est, sive sit confessio alicujus positionis, in quo casu liberatur Actor ab omni onere probandi eandem positionem, ut supra dictum est; sive sit confessio principalis intentionis Actoris, in quo casu habetur Reus pro judicato, juxta *l. 1. Cod. de conf. f.* & sua veluti sententia condemnatus, *l. 1. ff. eod.* Si tamen facta fuerit cum circumstantiis à jure requisitis, quas explicat Gloss. in *c. fin. de confes. v. confessus*: hoc est coram JUDGE competenti, præsentente Adversario, ejusve Procuratore, ex *l. certum 6. §. si quis absente ff. eod.* quæ non processerit ex ignorantia facti, ignorantia enim facti, non juris excusat, *c. ignorantia 3. de reg. jur. in 6. & l. non fatetur 2. ff. de confessis*: item quæ facta sit ab eo, qui minoritatis annos excesserit, hoc est 25. impleverit; ex *cit. l. certum §. in pupillo ff. de confes. & l. non omnia 44. ff. de minorib.* demum quæ sit certa, hoc est non confiteatur tantummodo aliquid indeterminatum, & vagum, unde Reus urgeri solet, ut certum confiteatur, ex *ead. l. certum.*

4. Illud tamen hic adverti debet, quæ dicta sunt de efficacia confessionis judicialis ad faciendam plenam fidem, intelligenda esse relatè ad solum confitentem: unde si contingat

Q 4

fieri

fieri ab aliquo judicialem confessionem de crimine, quod cum sociis perpetravit, manifestando etiam eosdem socios; erit plene probatum contra confitentem, sed non contra socios, qui propterea ex vi præcisa ejusdem confessionis non sunt condemnandi, ut habetur in *c. 1. de confes.* ubi insuper additur, secundum irriusque juris statuta de se confessos super aliorum conscientias interrogari non debere, exceptis quibusdam particularibus criminibus.

5. Quod autem attinet ad extrajudicialem confessionem, distinguendum est utrum ea facta fuerit præsentem Adversario, & coram legitimis testibus, qui de ea testari possint; vel facta fuerit adversario absente. Si primum, eademque confessio ab illis testibus in judicio producat, fit plena probatio, ut tradunt Doctores fusè citati à Maranta *p. 6. speculi de confes.* circa initium, ubi etiam plures super hac re limitationes enumerat. Si autem facta fuerit absente adversario, & per duos testes in judicio producat, facit tantum præsumptionem, & semiplenam probationem, ut docet Bart. in *l. admonendi 31. ff. de jurejur.* citatus à Pinor. in *c. fin. de success. ab intest. n. 16.* quod intellige de confessione semel facta: nam bina confessio extrajudicium operatur effectum confessionis judicialis, ex *l. cum scimus 21. Cod. de agricol. & cens.*

conf. lib. 11. ut ibi notat Bart. relatus à Panor. in rep. ad c. per tuas 9. de arbit. n. 19.

6. Ratio disparitatis, quare plus credatur confessioni factæ coram Adversario, quam eodem absente, esse potest: quia ubi quis aliquid contra se confitetur, præsertim ubi majus sibi præjudicium timere potest, præsumitur id confiteri veritate compulsus, eademque præsumptio est juris, & de jure, contra quam probatio non admittitur, nisi petita ex evidentissimis rationibus, ut paulò infrà explicabitur ubi in specie de præsumptionibus: confessio autem debiti contra se facta coram Adversario, est confessio, ubi confitens majus sibi præjudicium timere potest, quam si facta sit eodem absente. In criminalibus tamen, in quibus clarior probatio requiritur ut dictum est in *tit. preced. n. 5.* confessio Rei extrajudicialis, sive facta sit præsentem parte, sive absente, non satis est ad condemnationem. Videri potest Maran. in loco supra citato.

T I T. XII.

De Testibus, & Attestationibus.

1. **A**ltera probationis species est quæ fit per Testes, locumque habet in omnibus causarum generibus, sive Ecclesiasticis, & Spiritua-
libus

Q 5

libus five prophanis, five civilibus, five criminalibus, ut constat ex pluribus juribus in Decretal. tit. de testib. & attest. & ex l. 1. ff. de test. Dicuntur autē Testes, qui ad fidem alicujus rei sua attestazione seu depositione faciendā adhibentur. Circa quos, pro præsentī instituto, dispiciendū nobis est, quænam personæ possint, aut non possint esse Testes in judicio: ac præterea quomodo sit eorundem attestatio suscipienda.

2. Quoad primum, communis regula est, numquemque admitti posse ad testimonium ferendum, qui expressa lege non prohibeatur, quæ regula desumitur ex cit. l. 1. ff. de testib. Quis autē à lege sit prohibitus, colligi potest ex septem conditionibus in legitimo teste requisitis, quæ apud Glos. in c. 2. eod. tit. v. viliissimi, his versiculis continentur.

*Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requiret.*

3. *Conditio*: quia solus homo liber ad testificandum admittitur in judicio, unde servus repellitur, quia habetur pro nullo, ex l. quod attinet 32. ff. de reg. jur. nisi tamen de facto proprio interrogandus sit, & cum alia probatio ad eruendam veritatem non est, ex l. servi responso 7. ff. de testib. quæ refertur à Grat. in cap. si testes 4. §. item servi responso 4. q. 3. atque præsertim nisi quæstio sit de quibusdam criminibus exceptis, puta Simonix, hæresis &c. pro quibus

bus testificandis admittuntur plerumque etiam testes cæteroquin de jure inhabiles. Laicus etiam contra Clericum non admittitur ubi criminaliter agitur: ubi autem civiliter, admittitur dumtaxat ad accusandum, ut suam vel suorum injuriam prosequatur, non autem ad testimonium, *c. de cætero 14. de testib.* excepto casu, in quo aliunde veritas cognosci non possit, *c. quoniam 3. eod.* Clericus etiam contra laicum in sæculari judicio testis adhiberi non debet, nisi ubi testes laici non reperiuntur; in quorum defectu, ne veritas occultetur, & malus ut bonus æstimetur, in providentia proprii Episcopi esse debet, ut aut coram se, & competentibus judicibus, aut aliter honorificè veritatem testificetur, juxta textum in *c. fin. 14. q. 2.* Videri potest Panor. in *cap. cum Nuncius 12. de testib. num. 3.* ubi insuper tradit quod si Clericus aliquis spontè deponit sine licentia sui Prælati coram Judice sæculari, quamvis illicitè, valide tamen deponit. In causa autem criminali sanguinis speciali etiam ratione prohibitum est Clericis testimonium, quia alioquin irregularitatem incurrerent secuta morte malefactoris. Idem proportionaliter juris est circa Religiosos.

4. *Sexus*: quia mulieris testimonium de jure Canonico non admittitur in judiciis criminaliter criminalibus *cap. mulierem 17. 33. q. 5. juncta*

ibid. glos. v. *nec testis* & c. *forus 10. de verb. signif.* ubi jus civile correctum est, juxta quod idem testimonium etiam in eisdem judiciis admittebatur, arg. *l. testium 3. §. penult. ff. de testib.* ubi tantummodo excipiebatur mulier quæ palam quæstum faciat feceritve, unde à contrario sensu arguebatur, reliquas non repellit. In judiciis tamen civilibus admittitur mulieris testimonium, excepto testamento, in quo mulier regulariter testis esse non potest, *Instit. de testament. §. testes*, & exceptis causis feudalibus, in *lib. feud. qui testes sunt neces. ad non investit. l. sine Clericus* circa finem, ubi videndi Doctores: nisi tamen fæmina esset illustris, & habens sub se feudum, & vasallos, cujus testimonium etiam in causis feudalibus esset legitimum, ut tradit Mascard. *de prob. concl. 764.*

5. *Ætas*: quia impuberes, hoc est masculi qui 14. annos non compleverint & fæminæ quæ 12. neque in causis criminalibus, neque in causis civilibus admittuntur in testes, *l. Testium. 3. §. lege julia ff. de testib. & c. testes autem 2. 4. q. 2.* Si autem pubertatis annos excefferint, sed nondum compleverint 20. annos, admittuntur in civilibus, sed excluduntur in criminalibus, *l. in testimonium 20. ff. de testib.* exceptis quibusdam delictis, puta læsæ majestatis &c. ut docet Gloss. in *l. inviti 19. ff. eod. v. sed nec pupillis*, pro quibus delictis multæ etiam aliæ, quas ad.

adduximus aut adducemus, testium inhabilitates non attenduntur.

6. *Discretio*: quia prohibentur tam in civilibus, quam in criminalibus quotquot laborant defectu, vel infirmitate iudicii, quales sunt furiosi, & mente capti non habentes lucida intervalla, & ex eadem etiam ratione Pupilli.

7. *Fama*: quia repelluntur infames, c. licet 47. de testib. si præsertim tales sint infamia juris, qui tum pro criminalibus, tum pro civilibus causis sunt inhabiles ad testimonium, exceptis quibusdam casibus gravioribus, puta hæresis aut simoniæ & c. c. tanta 7. de simon. Ex eadem quoque ratione prohibentur etiam excommunicati c. veniens 38. eod. in fine, & c. decernimus 8. de sent. excomm. in 6. quia scilicet censentur infames.

8. *Fortuna*: quia pauper ita vilis, ut facile possit pecunia corrumpi, non admittitur ad attestandum l. testium 3. ff. de testib. Qua de causa, hoc est ne detur occasio corrumpendi testes per pecuniam, prohibetur solvi pretium pro ipso actu testificandi, c. 1. de testib. ita ut testimonium, quod soluto pretio fit reputetur invalidum, ut notat *Glof. in eod. c. 1. de testib. v. pretio.*

9. *Fides* demum, seu *fidelitas*, quæ undequaque præsumi debet in testibus, ut eorum attestatio sit idonea, unde ex ejusdem præsumptionis

timum. Ex triplici autem capite potest nonnunquam ea præsumptio vacillare, aut etiam induci præsumptio contraria, adeoque ex hoc capite repelli aliquis ab attestando: videlicet, vel ex nimia conjunctione seu propensione erga litigantem ejusque causam; vel ex nimio contra eundem odio; vel ex eo quod quis aliàs contra fidelitatem peccaverit fueritque perjurus.

10. Ratione nimix conjunctionis seu propensionis erga litigantem, repelluntur à testimonio domestici, qui videlicet sunt ex ejusdem familia *c. in litteris 24. de testib. & l. penul. ff. eod.* Item consanguinei & affines, ut colligitur ex *c. Super eo 22. eod. & l. Parentes 5: C. eod. juncta ibid. Glos. v. Parentes.* Nisi tamen causa aliqua agatur, quæ solum domesticis, aut consanguineis nota sit, ut est exemplum in *c. Præsens 4. 20. q. 3.* ex qua ratione in causa consanguinitatis audiuntur testes consanguinei, quod eam præsumuntur magis scire, *c. Quoties 5. de testib.* imo & ipsa mater, cujus dicto statur ante contractum Matrimonium, quamvis ex ejus solius dicto non dissolvatur matrimonium jam contractum, sed plurimum testimonium requiratur, *cit. c. super eo 22. eod.*

11. Ratione propensionis seu affectionis erga causam testes esse non possunt Advocatus, & Procurator in ea causa, pro qua operam & pa-
troci-

rocinium præstiterunt, etiam in causa appellationis, *cap. fin. de testib. in 6.* quod & in executoribus negotiorum observandum est ex *l. fin. ff. eod.* Repelluntur quoque à ferendo testimonio in causa criminali ii qui consimili crimine, de quo quæstio est, maculati sint, ex *cap. veniens 10. & c. Personas 20. de testib.* quia scilicet posset esse periculum aut suspicio collusionis, aut affectus ad causam propriam tanto facilius defendendam. Excipitur tamen crimen læsæ majestatis in *c. 1. de confes.* & crimen simoniæ si de eo agatur civiliter, & emolumentum exinde non proveniat attestanti juxta textum in *c. 1. de testib. in 6.*

12. Ratione odii erga alterutrum litigantem, repelluntur ab attestando ejus inimici *l. Testium 3. ff. eod.* quia non præsumuntur ex fide, sed potius ex malevolentia dicturi.

13. Demum ratione infidelitatis aliàs commissæ repellitur perjurus, qui falsum juramento confirmaverit, idque tum in causa civili, tum in causa criminali, quamvis sit emendatus, & de perjurio poenitentiam egerit, *cap. Parvuli 14. 22. q. 5. & cap. Semel malus 8. de reg. jur. in 6.* Quod est speciale in reatu perjurii. Si quis enim alio criminis genere peccaverit, sed postea de eo crimine sit emendatus, omniq; purgatus infamia, admittitur testis in causa civili, & etiã in criminali quæ civiliter agatur, ut expressè habetur

betur in *c. Testimonium* 54. *de testib.* ubi latius videndi Doctores casus aliquos speciales ab hac regula excipientes. Ex proportionali quoque ratione rejiciuntur hæretici, Judæi, & Pagani à ferendo testimonio contra Catholicum & Christianum, *c. Non potest* 24. *cum duob. seqq. 2. 9. 7.* quia videlicet, ut ibidem dicitur, non potest erga homines esse fidelis, qui Deo extiterit infidelis, Testimonium tamen Christiani contra Judæum non repellitur, *c. Judæi* 21. *de testib.* quia non est in eo infidelitatis præsumptio.

14, Quod autem attinet ad modum recipiendi testes legitimos, eorumque attestaciones, quod ab initio hujus tituli proposuimus secundo loco examinandum; uterlibet litigans intra statutū à Judice temporis terminum, si quid per testes probandum sit, debet testes in iudicium adducere, prius tamen citato & evocato adversario, qui ipsos videat jurantes, & audiat, *ex o. 2. eod.* & si quid habet quod contra ipsos excipiat, id ante eorum examen & attestacionum publicationem objiciat. Productis autem testibus, & adversario comparente, exhiberi debent tum Judici tum etiam Adversario articuli, super quibus producti sunt ipsi, testiumque nomina significari.

15. Eo actu expedito, vel Adversarius aliquam exceptionem objicit contra testes propter

ter quam eos à testimonio repellit; vel nullam.
 Si primum: Judicis erit attendenda rei qualitate
 prudenter decernere utrum suspensio examine
 testium contra quos exceptum est, adducendæ
 sint probationes exceptionum, an potius proce-
 dendum sit ad Testium examen, dilata proba-
 tione exceptionum, quæ si penitus à Judice non
 admittatur, dat excipienti jus legitimum ap-
 pellandi, *c. ex parte 7. de testib.* Si autem nihil
 excipit, absolute proceditur ad examen, pro
 quo potest Adversarius exhibere Judici inter-
 rogatoria sua super articulis sibi ante exhibitis,
 ut etiam per eadem interrogatoria super eis-
 dem articulis Judex testes interroget, *c. presen-
 tium 2. §. testes etiam eod. in 6.* ut si forte contingat
 testes à producente fuisse subornatos, per in-
 terrogatoria ab adversario proposita facilius
 deprehendatur, & propterea productori testi-
 um non debent eadem Adversarii interrogato-
 ria manifestari, ut docet *glos. in cit. c. Prasenti-
 um v. interrogatoria.*

16. Testes igitur in iudicium admissos & re-
 ceptos, præmissis coram adversario juramento
 veritatis, quo jurare debent se non privato o-
 dio, neque amicitia, neque pro aliquo com-
 modo ad hoc jurandum inductos, reique veri-
 tatem prout secundum conscientiam noverint
 testaturos, quia nullius testimonio quantum-
 cumque religiosus existat (nisi juratus deposue-
 rit)

rit) in alterius præjudicium debet credi *c. Nuper 51. de testib.* Testes (inquam) ita admissos, & juratos Judex separatim singulos & secreto examinare debet tam super articulis à producente propositis, quam super interrogatoriis exhibitis ab Adversario, investigando diligenter circumstantias omnes, quas cognoscendæ veritati utiles judicaverit, ut decernitur in *c. Cum causam 37. eod.* & in *l. Testium 3. ff. eod.* subtiliter etiam animadvertendo quo vultu, quave animi constantia aut trepidatione deponant, ex quibus sæpe rei veritas proditur.

17. Illud tamen principaliter curare debet Judex, ut testes dicti, sui rationem proferant, quia ex qualitate rationis pendet robur, & efficacia testimonii ita ut si vel nulla vel improbabilis reddatur ratio, testimonio non credatur, præsertim in causis criminalibus, ut sumitur ex *c. Præterea 27. eod.* & *l. solam 3. C. eod.* Hinc si quæstio in iudicium adducta talis sit, quæ per aliquem ex quinque sensibus corporeis de natura sua percipi possit, puta visu vel auditu debet regulariter testis, ut convincenter deponat, testificari de visu, de auditu proprio, & si solum deponat de auditu alieno, regulariter non admittitur, *c. Licet 47. eod.* ubi etiam aliqui particulares casus ab hac regula excipiuntur. Universaliter autem Judicis erit, prudenter secum perpendere qualitatem rationum in attestationibus à teste prolatarum, utrum
plus,

plus, vel minus roboris habeant, quia quæ argumenta ad probandam quamcumque rem sufficiant nullo certo modo satis definiri potest, ut fuse exponitur in *l. Testium 3. ff. eod.*

18. Examinatis testibus ab Actore productis, debet admitti Reus ad probationem eorum, quæ contra testes Actoris excipit, nisi tamen super his fuerit ante auditus. Quod si idem Reus ejusmodi exceptiones probaturus testes suos & ipse producat, poterit Actor testes illos repellere, eorumque testimonium etiam aliis superinductis testibus reprobare. Ulterius testium productio non admittitur, ne lites nimium protrahantur: & ad summum concedi potest quarta productio dummodo interveniat legalis solemnitas, hoc est ut postulans præstet juramentum, quod neque per se neque per alium testificata subtraxerit, vel fuerit percunctatus, nec per dolum aut artem aliquam quartam productionem exposcat; sed quia quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit, juxta textum expressum in *c. penult. de testib.* & hoc est quod dicitur in rubr. *c. Licet dilectus 49. eod.* testes probatorios & reprobatorios probatoriorum reprobare licere, sed reprobatorios reprobatoriorum non licere.

19. Ad rem plene probandam requiruntur ad minimum attestations duorum omni exceptione majorum, *c. Licet 23. eod.* quæ & regulariter

lariter sufficiunt, exceptis quibusdam particularibus casibus, in quibus plures duobus exiguntur. Unius autem attestatio facit tantum semiplenam probationem, nisi hic sit publicus officialis ad aliquem actum constitutus, & de eo actu à se facto testetur; aut nisi agatur de evitando peccato, ex qua ratione decernitur in *c. super eo. eod.* ut in quaestione utrum aliqua mulier sit desponsanda viro, etiamsi sola mater alterutrius deponat eos esse consanguineos tale testimonium satis sit in ordine ad sponsalia non contrahenda, quamvis si Matrimonium est firmatum, non debeat sine plurium juramento dissolvi seu irritum declarari.

20. Sed neque satis est testes esse plures, nisi fuerint etiam contestes; hoc est de uno eodemque individualiter facto uniformiter attestantes. Testes igitur singulares quales dicuntur qui singuli de distinctis aut diversis actibus testantur, aut qui super eodem actu non concordant, plenam fidem non faciunt *c. Bonae 23. de elect.* aliisque juribus. Quod si singuli testes deponant de aliquo particulari actu iterabili & sub eodem genere contento, controversatur inter Doctores utrum in tali casu censeatur plene probatum idem genus, quamvis plene probatus non sit ullus actus in individuo, utpote à singulari teste depositus. *Glos. in l. Ob carmen 21. ff. de testib. v. impari numero*, quam refert Panor.

Panor. *Consilior. lib. 2. consil. 181. n. 2.* docet, testes singulariter deponentes de actibus particularibus, sufficienter probare cum agitur de probando universali, ut puta si probanda sit possessio diuturna, non obstat si unus testis dicat se vidisse possessionem uno tempore, alius autem dicat se possessionem vidisse alio tempore, quia in ea quaestione hoc solum generaliter quaeritur an quis possederit, in quo genere omnes testes concordant, non autem an illa vel illa die possederit, in qua specie testes illi sunt singulares.

21. Si plures testes idonei sint de uno eodemque facto contestes, & unus his contradicat, hic non evertit plenam illorum probationem; potest tamē nonnunquam minuere si multum illis dignitate praemineat: in testibus enim non solum numerus, sed etiam qualitas attendenda est *ex c. in nostra 32. de testib.* ubi propterea decernitur ut si testes ab utroque litigante producti deponant contraria, & pro parte unius sint pauciores sed multo majoris autoritatis, plene probatum censeatur pro eo, pro quo testes illi pauciores deponunt, quamvis cæteroquin ubi non sit ille excessus praeminentiae, obtineat in probatione qui plures pro se testes idoneos numeraverit.

22. Universaliter tamen spectat ad Judicem testes ita dissidentes, quantum potest, conciliare: & quia delictum & perjurium in testibus
non

non est facile præsumendum, *c. Estote 2. de reg. jur. & c. unico de scrutin. in ord. faciendo*; ideo ubi contrarietas manifesta non est, eorum dicta benigne interpretabitur, ut de diversis actibus videantur fuisse testati, si eorum depositio fuerit circa actus reiterabiles; ut habetur in *c. Cum tu 16. de testib.* aut ut unius dictum prolatum sit in significatione minus propria, adeoque testes sibi non contradicant. Ejusmodi tamen testimonium conciliatio fieri non debet ad effectum condemnationis in criminalibus, in quibus sicut majus Rei præjudicium agitur, ita probatio manifestior & luce meridiana clarior sit necesse est, ut supra diximus ex *l. fin. C. de probat.*

23. Receptis igitur ex utraque parte depositionibus testium, qui hinc inde quadragenarium numerum non debent excedere, ex *c. Cum causam 37. de testib.* & renunciata à partibus ulteriori productione, fieri debet earundem depositionum publicatio, & utrique litiganti debent ostendi, ut dispiciant quid adversus illas opponere possint, ex *cap. In causis 15. eod.* puta utrum confuse & obscure deposuerint, utrum sint testes singulares, utrum sibi contrariantur &c. Ita tamen requiritur ea publicatio, ut si ommissa fuerit, non eo ipso irritetur processus atque sententia, quamvis det causam justam appellandi ei, qui illam publicationem à Judice petierit, & non obtinuerit.

24. Post

24. Post publicatas attestaciones, ulterior testium productio super eisdem articulis non admittitur, sed tantum super aliis, *c. Cum venisset. 25. eod.* quemadmodum neque potest quidquam opponi contra personas testium, exceptis tribus casibus expressis in *c. Presentium 31. eod.* videlicet si Reus juraverit se ad hoc ex malitia non procedere, vel nisi forte ante publicationem id fuerit protestatus, vel si ostendere possit se post publicationem didicisse quod objicit in personas.

25. Depositiones testium in uno iudicio plenario receptæ etiam in alio fidem faciunt pro eadem causa & inter easdem personas, *c. Causam 11. eod.* Dixi in iudicio plenario: quia receptæ in iudicio summario fidem non faciunt pro plenario, sed debent iterum illi vel alii testes examinari, ex *c. veniens 38. eod.* Quemadmodum neque receptæ coram Arbitro, si testes illi adhuc vivant, & alteruter litigans nolit stare illis attestacionibus pro plenario iudicio. Si autem ipsi testes coram Arbitro recepti mortui sunt; tunc eorum attestaciones fidem faciunt etiam in iudicio plenario, ex *c. Presentata 50. eod.* juncta *ibid. glos. v. acta.* Ratio quare jura decreverint plus deferendum attestacionibus testium mortuorum coram Arbitro receptis, quam adhuc viventium, esse potest: quia si mortuorum etiam testium depositiones non probarent, periret
sapius

sæpius probandi facultas in alterius detrimen-
tum, ex qua ratione diximus in hoc *lib. 3. tit. 9.*
n. 7. posse testes examinari etiam lite non con-
testata, quando de eorum morte, vel absentia
diuturna probabiliter timeri potest, ex *c. fin. Ut*
lite non contest. &c.

T I T. XIII.

De fide Instrumentorum, de Præsumptionibus,
& de Jurejurando,

1. **A**Lia probationis species est, quæ fit per
instrumenta, sumendo tale nomen non in
ampla significatione, sub qua complectitur om-
ne id, per quod causa instrui potest & fides Ju-
dici fieri, ut sumitur in *l. 1. ff. de fide instrumen-*
tor. sed in significatione restricta, sub qua signi-
ficatur scriptura faciens ad fidem, & probatio-
nem rei, quam continet.

2. Instrumentum tali modo sumptum divi-
ditur in publicum, & privatum. Instrumen-
tum publicum dicitur scriptura, quæ confecta
sit manu personæ publicæ, puta Tabellionis aut
Notarii ad id muneris autoritate legitima de-
putati, servata forma legitima, nempe ut facta
sit à Notario ad id à partibus rogato, aut ex
mandato Judicis, cum expressione anni, indi-
ctionis, mensis, diei, loci ubi fit actus, nominis
testium,

estium, & cum subscriptione eorundem testium atque Notarii seu Tabellionis, ut sumitur ex pluribus juribus sub titulo *de fide instrumentor.*

3. Subdividitur instrumentum publicum in protocollum, & transumptum. Protocollum dicitur scriptura illa Notarii, in qua breviter annotatur memoriæ causa actus gesti substantia, ut deinde in legitimam formam cum debitis solemnitatibus extendatur. Transumptum vocatur ipsum instrumentum authenticum à Notario ex protocollo desumptum continens plenam rei expositionem, & cum legitima forma extensum. Quæ autem ex his originalibus instrumentis describuntur, vocari solent exempla seu copiarum instrumentorum.

4. Instrumentum privatum dicitur scriptura privatæ personæ seu ad publicum munus conficiendi instrumenta non destinata. Hujus generis esse censetur *Apocha*, hoc est scriptura quam creditor debitori dat, & in qua idem creditor fatetur se recepisse à debitore pecuniam sibi ab eo debitam: *Antapocha*, id est scriptura quam debitor dat creditori, & in ea profitetur se creditori solvisse quod debebat: *Syngrapha*, hoc est scriptura propria manu conscripta ab iis qui paciuntur, in alicujus rei fidem, & quam sibi invicem tradunt: *Libellus rationum*, seu rationes privatæ, quas quis sponte pro re sua scribit: *Epistola* demum, quam quis ad aliquem mittit. Tali

lium scripturarum pluries jura meminerunt, ut videre est in *l. Plures 18. c. de fide instrum. l. Rationes 6. c. de probat. &c.* & aliquando etiam illas appellant instrumenta domestica, ut patet ex *l. Instrumenta 5. C. eod.*

5. Effectus instrumenti est fidem facere de eo quod continet majorem aut minorem juxta diversas instrumentorum species. Instrumentum enim publicum de eo quod dispositivè continet plenam fidem facit, sive sit protocolum, sive transumptum, sive etiam exemplum ex originali extractum per publicam personam auctoritate Judicis, unde etiam dicitur authenticum. Id tamen intelligendum est, donec contrarium non probetur sive per testes, sive per alia instrumenta contraria, ut sumitur ex *cap. Cum Joannes 10. de fide instrumentorum*, & nisi ipsum instrumentum sit in aliqua sui parte substantiali seu suspecta vitiatum, unde dubitari merito possit de falsitate, ut est casus expressus & declaratus in *c. Inter dilectos 6. eod.*

6. E converso scriptura privata id indifferenter non obtinet, sed aliquando contingit authenticam esse & plenam fidem facere, aliquando non. Authentica esse censetur, quando à partibus & à testibus est subscripta, de quo Panor. in *c. 2. eod.* Item authentica est scriptura perfecta per aliquem officialem super pertinentibus ad officium suum. Item scriptura quæ re-

pani-

ponitur in Archivio publico, aut cui appositum sit aliquod sigillum publicum & authenticum, puta Episcopi, Principis, Universitatis &c. ut sumitur *ex c. 2. eod.* & *ex aliis ibid.* adductis à Panor. At scriptura privata, cui talia adminicula desint, authentica non est, præterquam contra scribentem, si is qui scripsit fateatur se scripsisse, & in eadem scriptura exprimatur non solum debitum in genere, sed etiam causa debiti, puta quod debitor sit ex mutuo, ex emptione &c. *c. Si cautio 14. eod.* quia nemo præsumitur contra se temere confiteri.

7. Instrumenta ab utroque litigante produci regulariter possunt post litem contestatam usque ad conclusionem in causa *c. Cum dilectus 9. eod.* Imo & aliquando etiam post conclusionem, ut si producantur ad innocentiam Rei in criminalibus defendendam, aut in iudicio appellationis, aliisve casibus, quos enumerat Panor. in *eod. c. Cum dilectus. n. 3.*

8. Produci autem debent originalia, seu legitime ex auctoritate Judicis exemplata, quia talia sunt authentica quibus creditur, *ex c. 1. eod.* Quamvis tamen necesse sit totum instrumentum Judici ostendere, *ex c. Cum persona 7. de privileg. in 6.* opus non est adversario totum manifestare, sed tantummodo eam instrumenti partem ubi quæstio de qua agitur continetur, *c. con-*

R. 2

tingit

tingit 5. de fide instrum. ne scilicet ostensione totius plurima diversa litigia suscitentur.

9. Si quis pro se producat instrumenta inter se contraria, nihil probat, c. *Imputari* 13. eod. Si autem instrumenta contraria à diversis partibus producantur; tunc vel scripturæ illæ sunt inæqualis authoritatis, vel æqualis. Si inæqualis, creditur scripturæ digniori, puta publicæ, & authenticæ præ non authentica. Si omnino æqualis, cadit Actor, quia Actore non probante Reus absolvitur. Curandum tamen erit à Iudice, ut quantum fieri potest per commodam explicationem omnis contrarietas auferatur, ut *tit. preced. n. 22.* dictum fuit de testibus.

10. Alia probationum species est, quæ nascitur ex præsumptionibus. Est autem præsumptio conjectura rationalis ex aliquo signo proveniens ad adstruendam rei dubiæ fidem, quam pro veritate facit haberi, donec contrarium non probetur. Dicitur *conjectura rationalis*, unde excluditur à præsumptionis conceptu suspicio vel iudicium temerarium nullis vel insufficientibus indiciis fundatum, quod propterea nihil probat, & à jure respuitur, ex c. *Inquisitioni* 44. de sent. excom. Et c. *Oves* 9. 6. q. 1. Dicitur *rei dubiæ*, quia præsumptio semper versatur circa rem incertam, in eoque differt à fictione juris, quæ est certæ falsitatis pro veritate assumptio inducta per legem ex causa aliqua iusta, ut

cum

num jus fingit Religiosum esse mortuum quamvis vivat, aut hæredem immediatum esse eandem personam cum defuncto cujus est hæres, & sic de pluribus aliis.

11. Cum autem indicia, ex quibus nascitur præsumptio, varia sint, & inæquali probabilitate conjecturam faciant rei; ideo multiplex assignari solet præsumptionum species. Alia enim est præsumptio vehemens seu violenta; alia non vehemens sed tantum probabilis. Prior est quæ talibus indiciis nititur, ut dubio moraliter non relinquat locum, cujus exemplum est in *c. 2. de præsumpt.* petitum ex celebri judicio Salomonis inter duas mulieres. Præsumptio non vehemens sed tantum probabilis est, quæ non ita urgentibus indiciis nititur, talibus tamen, ut probabiliter arguant rem præsumptam, eademque potest esse major aut minor, prout magis vel minus probabiliter indicia faciunt conjecturam.

12. Alia quoque præsumptionis divisio est in præsumptionem hominis, & præsumptionem juris. Præsumptio hominis est quæ formatur in mente hominis ex aliquibus indiciis & argumentis, & non est expressa in jure. Quæ autem est expressa in jure, ea dicitur præsumptio juris, qualis est v. g. ea qua præsumitur contra illum, qui dilationibus indicium subterfugit, quia est expressa in *c. Nullus 4. eod.*

R 3

13. Sub-

13. Subdividitur præsumptio juris in eam quæ est juris tantum, & in eam quæ est juris & de jure. Præsumptio juris tantum est quæ est expressa in jure, sed nihil super illa statutum est quod pro jure habeatur. Præsumptio juris, & de jure est, quando non solum continetur in jure, sed super ipsa jus aliquod firmum statutum est, qualis est v. g. præsumptio melioris causæ resultans pro victore ex sententia definitiva lata, contra quam sententiam intra tempus legitimum non appellaverit is qui causa cecidit, vi cujus præsumptionis statutum est ut victus cogatur satisfacere sententiæ, ut patet ex c. *Cum inter* 13. *de sent. & re judic.* in fine.

14. Inter alios præsumptionis effectus pro re præfenti est fidem facere in judicio, & substitui loco probationis, servato tamen discrimine inter prædictas præsumptionum species quia præsumptio tantum probabilis aliquantulum sed non plene probat, nisi tamen fama publica aut aliis adminiculis adjuvetur, in quo casu potest nonnumquam plenam fidem facere, ex c. *Tertio loco* 13. *de præsumpt.* At præsumptio vehementis & violenta, aut præsumptio juris, & de jure universaliter plenam fidem facit, eique statur donec contrarium non probetur, c. *Cum dilecti* 6. *de donationib.* exceptis tamen causis criminalibus gravibus, in quibus propter præsumptionem

ptionem etiam vehementem non debet quis
condemnari, ex c. Litteras 14. de præsumpt.

15. Quod autem dictum est donec contrarium
non probetur generaliter obtinet in præsumptio-
ne vehementi, & in præsumptione juris tan-
tum, quæ probationem in contrarium non ex-
cludit, quæ tamen apertissima sit necesse est, ex
l. Non est verisimile 23. ff. quod metus causa & l.
Cum de indebito 25. ff. de probat & c. Quia verisi-
militate 10. de præsumpt. At præsumptio juris & de
jure regulariter probationem in contrarium
non admittit, c. Is qui fidem 30. de Sponsal. Dixi
regulariter: quia sunt aliquæ probationes ita li-
quidæ, ut admitti quoque possint contra præ-
sumptionem juris & de jure, eandemque dilue-
re. Talis esse censetur confessio contraria ab
eo facta, in cuius favorem stat præsumptio,
dummodo sit confessio de his quæ pendent
à voluntate confitentis, & directe in ejus favo-
rem sit à jure inducta præsumptio, ut puta
quavis sententiâ & res judicata pariat præ-
sumptionem juris, & de jure in favorem ejus
pro quo judicatum est, attamen diluitur ejus-
modi præsumptio, si idem confiteatur senten-
tiam Judicis per errorem aut subreptionem
emanasse. Videri potest Panor. alique Docto-
res in cit. c. Is qui fidem.

16. In concursu plurium præsumptionum ea
prævalet quæ potentior est: quænam autem ta-

lis sit prudenti Judicis arbitrio judicandum est. Cæteris paribus ea potentior esse censetur quæ facit valere actum: quæ benignior: quæ favorabilior Reo: quæ peccatum evitatur: quæ fundatur in jure magis speciali, & sic de pluribus aliis circumstantiis, quæ videri possunt apud Doctores in tit. *de præsumptionibus*.

17. Quæstionis est utrum præsumptio, ut profit ei pro quo stat, ab eodem in judicio debeat allegari, quam late tractat Menoch. *de præsumpt. lib. 1. qu. 48*. Qua in re distinguendum videtur cum eodem inter prædictas præsumptionum species. Præsumptio enim hominis allegari debet, quia cum non sit expressa in jure, non præsumitur nota Judici. Præsumptio etiam Juris, si sit juris tantum, & fundata in facto proprio ipsius pro quo stat præsumptio, aut circa factum ejus proprium versans allegari debet, saltem per allegationem ejus facti ex quo resultat præsumptio, ut puta cum ex possessione de præterito resultet præsumptio possessionis de præsentis, debet saltem allegari præterita possessio: id enim, quod ex ea sequitur, videlicet præsumptionem possessionis præsentis, Judex scire præsumitur, & supplere tenetur cum sit statuta per legem, quia ea quæ sunt juris præsumitur Judex scire, & tenetur supplere, ex *l. un. C. Ut quæ desunt advocat. part. judex suppl.* At præsumptio juris & de jure nullatenus est de necessitate

cessitate alleganda, quia lex illam habet pro veritate, quam Judex necessario sequi debet. Videri potest idem Menoch. in loco cit.

18. Tempus allegandæ præsumptionis, si quando aliqua alleganda fit, non est in jure statutum, unde indifferenter in toto progressu judicii allegari potest.

19. Alia demum probationis species est, quæ nascitur ex juramento de veritate, quod nonnumquam adhibetur in causis civilibus, quando testibus aut instrumentis aut præsumptionibus est aliquatenus sed non plenè causa probata, ut constat ex *c. Ex litteris. 32. &c. fin. de jurejur.* Est autem pro re præsentis juramentum duplex, aliud necessariū; aliud voluntarium. Juramentum necessarium est quod à Judice defertur litiganti ad supplendas probationes, ita dictum, tū quia per Judicem necessario deferri debet, tū etiam quia à Judice delatum non potest à partibus recusari, nisi justis de causis, quæ quales sint videri possunt apud Panor. in cit. *c. fin. de jurejur. n. 5.* Juramentum voluntarium dicitur quod in judicio unus litigantium alteri defert, ita vocatum, tum quia qui illud defert, non nisi volens, & libere defert; tum etiam quia ille cui defertur, potest illud recusare, ita ut nec jurare velit, nec juramentum referre in Adversarium deferentem: nisi tamen juramentum à parte delatum sit approbante Judice: in quo casu,

si nulla justa causa excuset, alter cui defertur, vel jurare debet, vel saltem juramentum referre in adversarium, conveniendo ut ipse juret, & ejus juramento standum sit, ut tradit Panor. in cit. c. fin. num. 4. & propterea tale juramentum vocari quandoque solet decisorium, eo quod habeat quandam vim transactionis juxta Panor. ibid. n. 7. ubi etiam n. 8. ponit quasdam hujus rei limitationes.

T I T. XIV.

De Sententia & rejudicata.

1. **E**Xpeditis in judicio probationibus deveniendum est ad sententiam, nempe ad pronuntiationem, seu definitionem Judicis, quæ judiciali controversiæ finem imponit, eandemque denominat rem judicatam, quamvis & ipsa sententia appellari quoque soleat res judicata, postquam intra legitimum tempus non fuerit ab ea appellatum, quia sic censetur approbata, & quodammodo judicata ab ipsis partibus, & in hoc sensu frequenter dicitur sententia transire in rem judicatam.

2. Triplex est sententiarum species: alia enim est interlocutoria, alia definitiva, alia quæ quamvis definitiva non sit, habet tamen aliquam vim definitivæ. Interlocutoria est quæ inter principium, & finem causæ principalis super aliquo incidenti pronuntiatur. Definitiva dicitur quæ principalem quæstionem definit, ex
Glos. in Clem. un. de sequestrat. possess. v. definitiva.

Ea demum, quæ definitiva non est, sed habet vim definitivæ, vocatur quæ causam principalem non definit, sed illam rejicit, ut puta cum Judex pronunciat se non esse Judicem in ea causa competentem, ut est exemplum in *c. significantibus* 38. *de off. deleg.* Dicitur autem habens vim definitivæ, quia Judex illam revocare non potest, sicut revocare non potest definitivam: ea enim lata functus est officio suo, ut sumitur ex eod. *c. significantibus*, & ex *l. Judex. 55. ff. de re judic.* at mere interlocutoriam revocare potest, ex *c. cum cessante* 60. *de appellation.* ubi videndi Doctores quoad aliquos casus exceptos, & inter reliquos Panor. *ibid. n. 11. & seqq.*

3. Cum autem sententia definitiva ferri non debeat, nisi omnibus auditis, quæ partes utrinque proponere velint, *c. judicantem* 11. 30. 9. 5. ideo antequam pronuncietur, interrogandæ sunt partes utrum aliqui aliquid allegare velint. Si affirmant, certus illis terminus temporis statuendus est, intra quod illud producant, juxta *auth. jubemus* *c. de Judic.* Si negent, jubedi sunt ulteriori probationi renunciare, eademq; renunciatio est in actis inferenda, ex *c. quoniam* 11. *de probat.*

4. His expeditis, citandæ sunt partes ut certo die adsint ad jus audiendum ut colligitur ex *c. 2. de dolo* in 6. Sententia enim lata contra absentem non citatū, & non contumacem est nulla, ex *l. ea quæ* 7. *c. quomodo*, & *quando Judex*,
R 6
nisi

nisi agatur de facto notorio, in quo certum sit
absenti nullam defensionem competere, ut li-
mitat Panor. in *c. cum sit Romanas*, de appellat. n. 7.

Partibus præsentibus, aut etiam absentibus, sed
citatis, Judex Christi nomine invocato, solum-
que Deum atque justitiam præ oculis habens,
sedens pro tribunali, & de scripto, ut præcipi-
tur in *c. fin. de sent. & re jud. in 6.* recitare debet
sententiam, & judiciali controversiæ finem im-
ponere.

5. Illud autem præ reliquis attendendum
est Judici, ut sententiam ferat secundum allega-
ta, & probata, ex *l. illicitas 6. §. verita ff. de off. Præsidis*. Item secundum legum statuta: senten-
tia enim lata contra expressum statutum legis
est ipso jure nulla, quamvis si sit contra solum
jus litigatoris, valida sit quamdiu per appella-
tionem interpositam non infirmetur, ut constat
ex *c. 1. & c. cum inter 13. de sent. & re judic.* Item
terri debet conformiter ad petitionem libelli, &
ad genus actionis in ipso propositū, ex *l. ut fun-
dus 18. ff. communi dividun.* Item de die, quia no-
ctu lata regulariter non est valida, ex *c. consuluit
24. de off. deleg. imo & ea die, & hora pro qua ci-
tatio facta est, quæ sit dies non feriata, sed juri-
dica, juxta c. fin. de feriis.*

6. Quod si contingat Judicem aliquem Ec-
clesiasticum, sive Ordinarium, sive delegatum
contra leges, & conscientiam corruptum ju-
dicare

dicare in gravamen alterius, variè punitur per Sacros Canones: suspenditur enim per annum ab executione officii, & condemnandus est ad estimationem litis parti quam læserit: & si suspensione durante damnabiliter se Divinis ingesserit, irregularitatem etiam incurrit, à qua non nisi per Summum Pontificem poterit liberari, salvis aliis constitutionibus, quæ Judicibus malè judicantibus pœnas ingerunt & infligunt. Ita expressè in *cap. 1. de sent. & rejudic. 126.*

7. Effectus sententiæ prolatae plures sunt. Inter reliquos est, quod qui causa cecidit damnari debeat in expensas victori solvendas, quas idem victor necessario fecerit causa litis, *cap. calumniam 4. de pœnis, & l. properandum 10. §. si autem C. de judiciis*: idque si in ipsa prolatione sententiæ, sive saltem intra eandem diem in qua sententia lata est, intra quam diem suppleri possunt ea, quæ à Judice omissa sunt in sententia definitiva, si eidem sententiæ sint accessoria, juxta *l. Paulus 42. ff. de re judic.* Excepto tamen casu in quo sententia pro absente feratur, aut in quo condemnatus habuerit causam probabilem litigandi, quia in iis non procedit ista damnatio in expensas, ex *cit. c. calumniam, & c. sacro 48. vers. cunque adversu. de sent. excom.*

8. Item alius prolatae sententiæ effectus est, ut

R 7

Ju

ut Judex quoad eam causam desinat esse Judex, *l. Judex 55. ff. de re judic.* unde sententiam semel latam corrigere, mutare, aut emendare non potest: semel enim, malè, seu benè, officio functus est, ut etiam sumitur ex *l. quod iussit 14. ff. eod.* Nisi tamen sententiam tulerit ipso jure nullam, in quo casu Judex ordinarius potest iterum judicare secus autem Judex delegatus, ut tradit Gloss. in cit. *l. Judex v. non possit*, ubi etiam, alias limitationes adducit.

9. Alius etiam effectus est, ut faciat jus inter partes, si intra tempus legitimum, hoc est intra 10. dies, non fuerit ab ea appellatum, in quo casu dicitur illa transire in rem judicatam, ex *cap. quod ad consultationem 15. de sentent. & re judic.* fundatque præsumptionem juris, & de jure in favorem victoris, etiam si cæteroquin lata fuerit contra jus alterius litigatoris qui causa cecidit, ut habetur expressè in *cap. cum inter 3. eod.* Inde est quod victori competit actio civilis rei judicatæ, per quam agere potest, ut præstet Reus id, in quo condemnatus est, satisfaciaturque sententiæ, ut sumitur ex *l. Actori 8. Cod. de reb. creditis*, quæ actio transiret etiam ad hæredes ex *l. miles 6. ff. de re judic. §. fin.* & solum auctoritate rei judicatæ reperti non potest tamquam indebitum, ex *l. 1. Cod. de conditione indebiti* juncta *ibid. Gloss. v. judicati.*

10. Dixi sententiam jus facere inter partes
quia

quia aliis regulariter non præjudicat, ut puta si sententia lata sit contra unum hæredem, non præjudicat alteri cohæredi qui in judicio non fuit, ex cap. penult. de sent. & re judic. l. 2. C. quibus res judicata non nocet. Excipiendi tamen sunt casus aliqui, de quibus sermo est in cit. c. penult. & quos congerit glos. in ead. l. 2. v. irrogare.

11. Illud tandem sententiæ latæ privilegium est, ut neque rescindi possit prætextu instrumentorum postea repertorum, aut aliarum probationum, juxta c. Inter Monasterium 20. de sent. & re judic. exceptis tamen quibusdam casibus relatis ibid. à Glos. v. confirmantes, inter quos numerantur causæ matrimoniales, de quibus etiam agitur apud Gloss. in c. lator. 7. eod. v. permanere, quæ propterea dicuntur nunquam transire in rem judicatam. Videri potest Marant. p. 6. speculi in tit. de sent.

12. Sententiam, quæ in rem judicatam transiverit, subsequitur executio. Circa quam, distinguendum est utrum sententia lata fuerit super actione reali, an super actione personali. Lata enim super actione reali debet statim executioni mandari, aut saltem post 10. dies, ut locus interponatur appellationi, si pars gravata appellare velit: lata autem super actione personali mandatur executioni post tempus quadrimestre, quod condemnato ad solvendū conceditur, ut constat ex c. Quod ad consultationem,

nem 15. de sent. & re judic. quamvis ex justa causa possit tale tempus à Judice vel coarctari, vel prorogari. Ista tamen intelligenda sunt extra casus exceptos, inter quos numeratur ubi locum habeat privilegium restitutionis in integrum, de quo sermo erit infra in tit. 16.

13. Sententiam latam regulariter exequi ille idem debet, qui eam tulit, si sit Judex Ordinarius, & Reum foro suo subditum habeat. Si autem sententia lata fuerit à Judice delegato, controversi juris est utrum per ipsum delegatum executioni mandanda sit, ut videre est apud Menoch. de arbit. Judic. lib. 1. q. 74. Illud convenit inter Doctores, de Jure Canonico delegatum Summi Pontificis posse exequi sententiam suam, vel eandem Ordinario committere, juxta textum in cap. in litteris 9. de off. deleg. juncta ibid. Glos. in primo notabili, & si illam Ordinario committat, tenetur idem Ordinarius obedire c. Pastoralis 23 §. quia eod. quia delegatus Summi Pontificis quoad causam sibi commissam major est omnibus post Papam c. sane 11. eod. & c. studuisti 2. de off. Legati. At circa delegatum ab inferiori Ordinario utrum exequi possit sententiam suam, variant Doctores. Affirmat Gloss. in c. 81. quis contra 4. de foro compet. v. ipsius sollicitudine, & Panor. in eod. c. n. 37. & seqq. Non desunt tamen qui oppositum sentiunt citati ibid. ab eod. Panor. nu. 32. &

& 33. Ideo pro praxi attendendum est tum ad consuetudinem loci, tum ad verba commissio- nis de Jure Civili senti Gloss. in *l. A divo 15. ff. de re judic. v. a se* neque delegatum Principis suam sententiam exequi posse. Videri potest Menoch. in loco. supracit. & alii Doctores in cit. *l. A divo.*

TIT. XV.

De Appellationibus.

1. QUA nonnunquam contingere potest vel ex errore vel ex malitia Judicis litigan- tem causa cadere, cui cæteroquin jus assistebat; ideo de juris utriusque æquitate remedia non- nulla statuta sunt, quibus litigans læsus ab in- justa sententia lata tueri se possit, faciendo ne transeat in rem judicatam, vel ejus executio- nem impedire. Hujus generis est appellatio, hoc est ab inferiori Judice ad Superiorem ratio- ne gravaminis illati vel inferendi facta provo- catio: quæ cum sit necessaria defensionis & quoddam præsidium innocentia, ut habetur in *c. cum speciali 61. §. porro. de appellat.* ideo eam esse etiam de jure naturæ rectè tradit Panor. ad rubr. *de appellat. n. 6.*

2. Ad intellectum hujus remedii quæri ista possunt: quis appellare possit? A quo? Ad quem?

quem? Contra quam sententiam? Quomodo,
& quando? Qui demum sint appellationis effe-
ctus?

3. Quod attinet ad primum : generalis re-
gula est posse quemlibet gravatum appellare,
cujus interest, etiam si personaliter condemna-
tus non sit, seu liti non interfuerit, ut sumitur
ex l. 1. ff. de appellat. recipiend. idque obtinet et-
iam in excommunicato, cui, quæ neces-
sariæ defensionis sunt in iudicio non negantur
cap. significaverunt 11. & cap. fin. de exception.
Dixi gravatum : quia qui gravamen proprie
tulisse non dicitur, appellationis beneficio non
juvatur, qualis est v. g. notorius Reus ; con-
fessus, & convictus cap. pervenit 13. cap. con-
suluit. 14. & c. cum speciali 61. §. Porro de appellat.
quia, ut ibi dicitur, appellationis remedium
non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præ-
sidium innocentiae institutum.

4. Quia autem indultum à lege, imo & ab
ipsa natura remedium ad tutelam innocentiae
ampliari decet ; ideo non solum potest quis ap-
pellare pro se & in causam suam, sed etiam pro
alio ; unde Procurator, qui habeat saltem ge-
nerale mandatum, pro suo principali appella-
re permittitur, imo & debet, nisi ex justa cau-
sa excusetur, cap. Non injuste 14. de Procurator.
in quo casu justæ causæ impediens debet sal-
tem Domino nunciare sententiam ut ab illa ap-
pellare

pellare possit. Item in causa pluribus communi; ejusdemque defensionis, appellatio ab uno illorum facta, etiam reliquis, qui non appellaverint, prodest, juxta textum expressum in *l. Si quis separatim 10. §. fin. ff. de appellat.* & ex toto tit. *Cod. Si unus ex pluribus appellaverit.* Denum in criminali judicio, ubi gravius innocentiae periculum est si injusta sententia condemnetur, latius etiam extenditur de juris æquitate remedium appellationis: quia pro damnato ad supplicium quilibet appellare potest, sive ejus interfit, sive non interfit, sive habeat mandatum, sive non habeat; imo & resistente damnato, qui nolit tali appellationi deferri, ut habetur expressè in *l. Non tantum 6. ff. de appellat.* humanitatis enim est, quemlibet, eo non obstante, provocantem audire.

5. Quod attinet ad alterum, quo quærebatur à quo Judice possit quis appellare? regula est appellari posse ab omni Judice sive Ordinario sive delegato: nisi sit supremus Princeps, qualis est Summus Pontifex respectu totius Ecclesiae, à quo nemo est appellare permissus, *cap. Ipsi sunt 16. & cap. cuncta 17. 9. q. 3.* de natura enim appellationis est ut fiat ab inferiori Judice ad superiorem.

6. Sed & inferior Judex ab hac regula excipitur quotiescumque quoad aliquam causam constitutus sit cum clausula, *appellatione remota,*
hoc

hoc est ita ut ab eo in illa causa appellari non possit. Circa cujus clausulæ intellectum cum dubitatum olim fuerit utrum omnes cujuscumque generis appellationes censerentur debeant per illam prohiberi; an tantummodo appellationes frivolae & inanes? Declarat Innoc. III. in c. *Pastoralis* 53. de appellat. censerentur debere prohiberi non solum appellationes frivolas & inanes, quæ etiam si ea clausula non esset apposta adhuc admittendæ non essent, sed etiam quascumque alias appellationes, quæ à jure expressè concessæ non reperiuntur.

7. Quæstionis est, utrum hoc jus servandum nunc sit? Ratio dubitandi est: quia aliqui cum Gloss. in eod. c. *Pastoralis* v. expressè, censent illud esse abrogatum in c. *ut debitus* 59. eod. tit. in quo generaliter conceditur appellari posse, quotiescumque adest justa & probabilis causa appellandi: unde inserunt interponi posse appellationem etiam in casibus à jure non expressè concessis, dummodo sit appellatio probabilis, non obstante quod Judex constitutus fuerit cum clausula *appellatione remota*.

8. Contraria tamen sententia multo probabilior esse videtur: tum quia communior est; tum quia si ex clausula nihil aliud operaretur quam excludere appellationes improbables, & inanes, esset frustranea, quia etiam absque ea clausula appellationes ejus generis non admit-

var ex c. Cum appellationibus 5. de appellat. in 6.
tum demum, quia correctio iurium, quantum
geri potest vitari debet, sicut vitari facile potest
in prædictis duobus capitibus, si c. Ut debitus
intelligatur pro casibus, in quibus Judex con-
stitutus sit sine clausula appellatione remota, cujus
clausulæ nulla mentio ibidem fit; at c. Pastora-
lis procedat dumtaxat in casibus in quibus ea
clausula interveniat, qua distinctione servata
nulla contrarietas in illis iuribus reperitur.

9. Nec propterea sequitur per eandem clausu-
lam plus justo adimi modum defensionis: si quan-
do enim contingat aliquem fuisse injustè grava-
tum per sententiam, nec appellare posse vigore
prædictæ clausulæ, non prohibetur recursus ad
Superiorem, ut officio nobili gravamen emen-
det, ut sumitur ex eod. c. Pastoralis. Adde, in
causa gravi, non obstante clausula appellatione
remota, permitti quandoque appellationem, si
non plenam, & quoad omnes ejus effectus, pu-
ta etiam quoad effectum suspensivum jurisdic-
tionis in Judice à quo appellatur statim ac ap-
pellatio interposita est; saltem quoad effectum
devolutivum, hoc est ita ut ejus causæ cognitio
devolvatur ad Superiorem, ut colligitur ex c.
Romana 3. §. Si autem. de appellat. in 6. Quam in-
rem etiam facit quædam declaratio, quæ cita-
tur, Sacræ Congregationis Concilii, quæ cen-
suit in causis visitationis & correctionis non da-
ri

ri appellationem ad effectum suspensivum, sed tantum ad devolutivum, ut tradit Pignattel. *Consult. Canonic. to. 8. consult. 61. nu. 4.*

10. Quod spectat ad tertium, in quo queritur, ad quem appellari possit? regula est appellari debere à Judice, qui sententiam tulit, ad ejus Superiorem habentem tribunal distinctum quia Superioris est corrigere factum inferioris, ex *cap. Cum inferior. 16. de major. & obed. quin & gradatim ad Superiorem proximum, cap. Dilecti 66. de appellat. ne jurisdictiones confundantur*: ita ut de jure civili nec appellare liceat ad Principem omisso Judice intermedio, ex *l. Imperatores 21. ff. eod.* Quod tamen de Jure Canonico locum non habet quoad Summum Pontificem, ad quem immediatè appellari potest omissis Judicibus intermediis, quemadmodum & ad Legatum de latere, qui in provincia sibi decreta gerit vices Papæ & concurrat cum quolibet Ordinario, ut sumitur ex *cap. Si duobus 7. de appellat. & c. 1. de off. legati. Dixi habentem tribunal distinctum*: quia si sit idem inferioris & Superioris tribunal, ut accidit in Episcopo ejusque Vicario Generali, tunc ab uno ad alterum appellari non potest, *c. Non putamus 2. de consuet. in 6.*

11. Ista tamen intelligenda sunt de appellatione à Judice Ordinario: si enim appellandum sit à Judice delegato, distinguendum est utrum

dele-

delegans totam suam jurisdictionem totiusque
causæ cognitionem transtulerit in delegatum,
nihil jurisdictionis sibi reservando, sed eam to-
tam à se abdicando, ut accidit, v. g. quando de-
legatus à Summo Pontifice ad aliquam causam,
subdelegat eandem totam alteri, sicut potest ex
dictis in hoc *lib. 3. tit. 2. num. 9. & 10.* vel utram
sibi aliquid de jurisdictione reservaverit. In
primo casu appellandum erit non ad sub-
delegantem, sed ad ejus Superiorem, nem-
pe ad Summum Pontificem; in altero autem
appellatur ad subdelegantem, ut expresse de-
cernitur in *c. Super questionum 27. §. Porro. de off.
Deleg.*

12. Quod attinet ad quartum, contra quam
sententiam possit aut non possit appellari; re-
gula est appellari posse à quacumque, nisi in ju-
re prohibeatur. Qua in re aliquod discrimen est
inter jus canonicum antiquum, & inter jus po-
stea statutum à Trid. *sess. 24. de refor. cap. 20.* quod
olim de jure canonico ex rationabili causa ad-
mittebatur appellatio etiam à sententia interlo-
cutoria, & à quolibet gravamine etiam ante
sententiam definitivam, ut patet ex *c. Cum sit.
§. de appellat. & c. Super eo. 12. eod.* At Trident.
decrevit ut causæ omnes ad forum Ecclesiasti-
cum quomodolibet pertinentes in prima in-
stantia coram Ordinariis locorum dumtaxat
cognoscantur, atque omnino saltem infra bien-
nium

nium à die motæ litis terminentur : alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum Judices superiores, aliàs tamen competentes adire; qui causam in eo statu quo fuerit, assumant, & quamprimum terminari curent; nec antea aliis committantur, nec avocentur : neque appellationes ab eisdem interpositæ, per superiores quoscumque recipiantur; eorumve commissio, aut inhibitio fiat, nisi à definitiva, vel à definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat. Ita expressè ibidem Trid. exceptis tamen causis, quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ; vel quas ex urgenti, rationabilique causa judicaverit Summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum signaturæ Sanctitatis suæ manu propria subscribendum, committere, aut avocare.

13. Item *sess. 13. de reform. cap. 1.* decrevit, ut in causis visitationis & correctionis, sive habilitatis & inhabilitatis &c. ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario generali, ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur; nec Episcopus, seu Vicarius appellationi hujusmodi, tamquam frivole, deferre videatur; sed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis Judice emanata, nec non omni
 stylo,

stylo, & consuetudine etiam immemorabili, contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere; nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit: quibus casibus sacrorum & antiquorum Canonum statuta illibata persistant.

14. Attento igitur hoc jure, appellari non potest nisi à sententia definitiva aut ab habente vim definitivæ cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat: à reliquis autem interlocutoriis appellare non licet, in quibus si quid peccatum est, reparari potest per sententiam definitivam, & corrigi ab eodem Judice, qui retractare potest in eodem judicio sententiam interlocutoriam quam tulit, ut supra dictum est in hoc *lib. 3. tit. 14. num.*

2. Consonat etiam jus civile, juxta quod ab ejusmodi interlocutoriis appellari non potest, ut constat ex *l. Ante 7. Cod. quorum appellat. non recipiuntur.*

15. Item prohibetur appellatio tertio facta ab eadem sententia & ab eodem Judice, ex *cap. Sua nobis 65. de appellat.* Præsumitur enim justum esse, quod tribus conformibus sententiis est firmatum.

16. Demum omissis reliquis, non admittitur appellatio, ubi ea apparet manifestè frivola, ut contingeret in causis seu factis notoriis,

S

riis,

riis, *cap. Peruenit. 13. & cap. Consuluit 14. eod.* aut in iis, ubi tantummodo agitur de executione legis, ex *c. Consuluit 29. eod.* quia tunc videtur appellari potius contra legem, sicut ex proportionali ratione appellari non potest ab executione sententiæ definitivæ, nisi executor excedat modum executionis, juxta *l. Ab executione 5. Cod. Quorum appellat. non recipiuntur.*

17. Circa formam & tempus appellandi, illud in primis observandum est, ut de appellatione interposita (quæ fieri debet per vocem *appello*, aut per aliud æquivalens) constet iudici à quo appellatur, unde coram eodem fieri regulariter debet, ex *cap. Ut debitus 59. & cap. fin. de appellat.* Tempus autem illius interponendæ est vel statim vel saltem intra 10. dies à die latæ sententiæ, aut à die notitiæ de sententia lata, *c. quod ad consultationem 15. de sent. & de re judic.*

18. Illud tamen discriminis est inter appellationem statim interpositam, & inter interpositam post aliquod intervallum intra 10. dies quod si appelletur à sententia definitiva aut ab habente vim definitivæ statim, sufficiat appellare viva voce; si autem appelletur ex intervallo, appellari debeat scripto, ex *l. A sententia 5. §. fin. ff. de appellat.* quamvis hoc discrimen in appellatione à purè interlocutoria (si qua-

quando ea permittitur) non servetur: quia sive
 statim fiat, sive ex intervallo, fieri debet in
 scriptis, expressa causa appellationis, quod ad
 minuendas lites statutum fuit in *cap. 1. de appel-*
lat. in 6. In quo etiam hujus generis appellatio
 differt ab appellatione à definitiva, quia in ap-
 pellatione à definitiva sufficit in genere dicere
 se esse gravatum, ut tradit Gloss. in cit. *cap.*
Quod ad consultationem 15. de sentent. & re judic.
v. Causam non exprimens. Ratio disparitatis
 esse potest: quia expressio causæ appellandi
 multo utilior est in appellatione ab interlocu-
 toria, nam Judex, ut dictum est, non prohibe-
 tur interlocutoriam corrigere, & ab expressio-
 ne specialis gravaminis, ratione cujus appella-
 tur, moveri potest ad illam corrigendam, quod
 si faciat, cessat appellatio, ex *c. Cum cessante 60.*
de appellat.

19. Interpositæ appellationi tenetur regula-
 riter deferre Judex à quo, alias puniendus, ut
 sumitur ex *cap. de Priore 31. eod.* & gesta coram
 se ad Judicem appellationis transmittere cum
 Apostolis intra 30. dies, intra quos iidem Apo-
 stoli debent ab appellante peti ex *c. Ab eo 6. de*
appellat. in 6. imo & intra tempus brevius, si
 ex causa legitima Judex à quo tempus brevius
 præscripserit, arg. *l. 2. ff. de re judic.* ut etiam su-
 mitur ex Panor. in *c. Cum sit Romana 5. de appel-*
lat. n. 10. & seqq. ubi fusè tractat utrū & quando

Judex possit breviare tempus concessum à lege.
 20. Sunt autem Apostoli hic litteræ, quas
 Judex à quo transmittit ad Judicem ad quem in
 testimonium, & fidem appellationis interpo-
 sitæ, ita dicti à græca voce ἀποσέλλω, quæ
 significat *mitto*: ac dividuntur in dimissorios,
 reverentiales, & refutatorios. Apostoli dimis-
 sorii dicuntur litteræ ad Judicem appellatum
 missæ testificantes de appellatione interposita
 & admissa. Apostoli reverentiales sunt litteræ
 testantes de appellatione interposita, & admis-
 sa non ex debito justitiæ, sed ob reverentiam
 Superioris appellati. Apostoli demum refuta-
 torii vocantur litteræ, quibus Judex à quo sig-
 nificat Judici ad quem fuisse appellatum, sed
 delatum non fuisse appellationi.

21. Obtentos Apostolos dimissorios appel-
 lans præsentare debet Judici ad quem intra 6.
 menses, ex *l. 2. Cod. de temporib. & reparationib.
 appellat.* vel etiam intra tempus brevius, si il-
 lud Judex à quo ex rationabili causa coarctave-
 rit, alioquin censetur appellatio deserta, ut e-
 tiam sumitur ex *c. Personas 4. de appellat.* Tem-
 pus autem proseguendæ appellationis de statu-
 to utriusque juris est annus, & ex justa eviden-
 tiæ causa etiam biennium, quamvis & hoc
 tempus possit Judex à quo ex causa breviare,
*cap. Cum sit. 5. eod. & auth. Ei qui C. de temporib. &
 reparationib. appellat.* ita ut si intra tale tempus
 qui

qui appellavit prosecutus non fuerit causam appellationis, censeatur appellationi renunciasse: nisi tamen eo tempore fuerit à prosequendo impeditus, quia impedito tempus quoad hoc non computatur, *c. Ex ratione 8. de appellat. & c. quia diversitatem 5. de concess. præb.*

22. Officium Judicis appellati est appellationem ad se delatam admittere, de ejus justitia cognoscere, & si viderit eam fuisse injustè & illegitimè factam, remittere debet appellantem ad Judicem à quo, supposito quod hic quantum in se fuit appellationi contradixerit, & in expensas damnare, *c. Cum appellationibus 5. de appellat. in 6.* Quod si justam fuisse cognoscat, id ipsum pronuntiare debet, & postea examinatis meritis causæ principalis, sententiam prioris Judicis vel cassabit, vel reformabit, prout justitia suadebit.

23. Ut autem hoc præstet, non opus est alia contestatione litis, quia ea quæ facta fuit in prima instantia extenditur etiam ad causam appellationis, ex *c. Per tuas 58. de appellat.* Quare uterque litigans immediatè procedet ad probandas suas exceptiones coram Judice appellationis, eo modo quo supra diximus faciendum esse in prima instantia: depromendo probationes vel ex prioribus actis, vel etiam alias ultteriores producendo.

24. Demum quod attinet ad effectus appellationis

lationis , duplex potissimum assignari solet, nempe suspensivus , & devolutivus. Primus consistit in eo quod per appellationem suspendatur jurisdictio Judicis à quo appellatum est, unde ulterius in eadem causa procedere non potest , ut sumitur ex *c. Si à Judice* 10. *eod. in 6.* & si quid innovet, ante omnia penitus revocari debeat per Judicem appellationis. Quod tamen intelligendum est de appellatione à sententia definitiva : per appellationem enim ab interlocutoria (ubi ea intermitteri possit) non statim suspenditur jurisdictio Judicis, nec ea quæ ab eodem Judice à quo post appellationem acta sunt, irritantur , donec appellationis causam veram esse constiterit: nisi Judex appellationis (postquam sibi constiterit per appellationem emissam , ex causa probabili fore ad se negotium devolutum , inhibeat canonice Judici à quo appellatum extitit , ne procedat : tunc enim quidquid post inhibitionem hujusmodi fuerit innovatum , est (licet causa eadem non sit vera) per eundem appellationis Judicem , ante omnia in statum pristinum reducendum. Sumuntur hæc ex *c. Non solum* 7. *eod. in 6.*

25. Hæc tamen doctrina intelligi regulariter debet , & pro appellatione à jure permessa. Contingit enim aliquoties in aliqua causa appellationem interponi , per quam non suspenditur jurisdictio Judicis , ut patet ex iis, quæ

supradiximus in hoc tit. num. 9. ubi exemplum attulimus de appellatione in causis visitationis & correctionis ex declaratione Sacrae Congregationis Concilii.

26. Utrum autem post appellationem à definitiva, sicut prohibetur Judici ne aliquid innovet, & si quid innovet revocatur; ita pariter prohibitum sit partibus, ita ut si aliquid interim per partem fiat, sit revocandum; controversia est inter Innoc. & Host. quæ videri potest fusè exposita à Panor. in c. Dilecta 10. de except. n. 4.

27. Alter effectus appellationis est devolutivus, ita ut scilicet per appellationem devolvatur causa ad Judicem appellatum, qui cognoscere poterit tum de justitia appellationis, tum etiam de causa principali, imo & de ejus accessoriis & connexis, ut sumitur ex cap. Dilectis 55. de appellat. Hic effectus latius extenditur, quam effectus suspensivus, quia sæpe etiam in iis casibus, in quibus effectus suspensivus locum non habet, admittitur devolutivus, ut ex dictis patet.

T I T. XVI.

De in Integrum restitutione.

1. Rater appellationis remedium, quod de juris æquitate succurritur iis, qui per sententiã

injustam læsi sint, aliud quoque suppetit remedium quibusdã particularibus locis, & per onis, ubi se non possint appellatione tueri; quod est beneficium restitutionis in integrum, seu reductionis in statum pristinum. Competit autem hoc remedium minoribus, hoc est qui nondum vigesimum quintum ætatis annum impleverunt, & Ecclesiis, ut sumitur ex toto tit. *De in integrum restitut.* in primo Decretal. & in toto tit. *C. si adversus rem judicat. restit. postuletur;* imo, & omnibus locis piis autoritate Episcopi erectis, & fundatis, juxta *l. omnia 34. Cod. de Episc. & Cler.* ubi habetur quod privilegia tributa Ecclesiis extenduntur quoque ad alia loca pia. Unde si minor aut Ecclesia se in aliquo graviter læsam cognoscat & appellandi tempus jam fluxerit, restitutionem tamen in integrum poterit implorare.

2. Hoc beneficium est amplæ interpretationis, & extensionis, unde datur non solum pro reparanda læsione sententiæ injustæ, quamvis ea processerit ex propria negligentia, five ex negligentia tutoris &c. sed etiam pro rescindendis contractibus, quos celebrare damnosum fuit iisdem minoribus aut Ecclesiis, in quo casu agere possunt contra quemvis alienatæ rei possessorem, ut constat ex *c. constitutus. de in integr. restit.* Idque adeo procedit ut in eodem casu unus minor agere possit contra alium

lium minorem , & una Ecclesia contra aliam
arque in integrum restitui , ut sumitur ex *cap.
auditis 3. eod. & l. verum 11. §. fin. ff. de minorib.* Nisi
tamen eadem sit utriusque causa , hoc est ita ut
agat utraque de æquali damno vitando , & æ-
que potens sit utriusque privilegium , in quo
casu res decidenda erit juxta jus commune, per-
inde ac si illis non competeret beneficium resti-
tutionis in integrum , quia privilegiatus contra
privilegiatum non utitur privilegio suo ubi par
est utriusque causa , arg. *l. assiduis 12. §. & ideo
quod antiquitas Cod. qui potiores in pignore* , ubi
privilegium prælationis dotis non competit
contra alium habentem simile privilegium. Vi-
deri potest *Bart. in auth. quas actiones Cod. de sa-
cro sanct. Eccl. & Panor. in cap. in presentia 8. de
probat. n. 37. & seqq.*

3. Quamvis tamen hoc beneficium directè ,
& primario solis minoribus , & locis piis con-
cessum sit , non obstat quo minus aliquando e-
tiam majoribus concedatur , si justa aliqua cau-
sa interveniat , ut puta si per alienam fraudem
decepti sint , ut exponitur in *c. ex litteris 4. de in
integr. restit.* & habetur etiam ex toto tit. ff. *ex
quibus causis majores in integr. restit.*

4. Tempus petendi restitutionem in inte-
grum pro minoribus est tum totum tempus
minoritatis , tum integrum quadriennium
ab expleta minoritate , de quo quadriennio ju-
sta

Ita absentia, & omne legitimum impedimentum excipitur ex *l. fin. C. de temporib. in integr. restit.* adeoque lapso quadriennio tantum temporis adjici debet, quantum fuit tempus absentiae. Ecclesia etiam quotiescunque graviter laesa fuerit, petere poterit restitutionem in integrum intra quadriennium à tempore laesionis saltem cognita intra quod si negligenter omiserit, admittenda non erit ad usum hujusmodi beneficii; sed agere tantum poterit per viam juris communis: nisi tamen intra illud quadriennium ex aliqua rationabili causa restitutionem in integrum petere non potuerit, quia in re praesenti non currit tempus impedito. Sumuntur haec ex toto tit. *de restit. in integr. in 6.*

5. Peti autem debet regulariter coram Judice illius contra quem petitur, quia Actor sequitur forum Rei, quamvis si Ecclesia laesa sit, petere possit restitutionem etiam contra laicum coram Judice Ecclesiastico, ut colligitur ex *cap. penult. de reb. Eccl. alienan. vel non.* Sed & opus est ut Judex ille, coram quo petitur, non solum habeat facultatem judicandi, sed etiam administratione potiatur cum jurisdictione conjuncta: ex qua ratione coram arbitro compromissario peti non potest, quemadmodum neque coram Judice delegato ab Ordinario administrationem non habente, qui de causa restitutionis in integrum cognoscere nequit, nisi coram

eo mota fuerit incidenter, juxta textum in *cap. penult. de in integr. restit.* causa enim restitutionis in integrum pertinet ad mixtum imperium ut supra diximus in hoc *lib. 3. tit. 2. n. 13.* Ea autem quæ sunt mixti imperii, non competunt nisi habentibus administrationem cum jurisdictione conjunctam, ut patet ex dictis in loco citato.

6. Illud etiam diligenter servandum est, ut si petenda sit restitutio in integrum contra sententiam ab aliquo Judice latam, non petatur coram alio inferiori Judice: minor enim Judex contra sententiam majoris non restituit, sed solum contra sententiam latam, vel à se ipso, vel à Judice minoris aut æqualis jurisdictionis, ut constat ex *l. Praefecti 17. & l. minor 18. ff. de minorib.* juncta *ibid. Gloss. v. minor autem.* Inde est quod contra sententiam definitivam Supremi Principis aut ejus delegati, nemo inferior in integrum restituere potest, nisi ad id sit specialiter delegatus.

7. Pro forma petendæ restitutionis in integrum, opus est ut ea coram idoneo Judice petatur præsentate adversario contra quem petitur, nisi sit per contumaciam absens, ut habetur ex *c. tum ex litteris 5. de in integr. restit.* Æquitas enim petit ut nemo inculpabiliter indefensus judicetur, ratione cujus præmitti etiam debet citatio, & litis contestatio, ut patet ex supradictis in hoc *lib. 3. tit. 4. n. 2.*

8. Effectus restitutionis in integrum est primò , ut quamdiu ejus judicium pendet , nihil innovari debeat, sed omnia in suo statu conservari, ut constat ex *l. un. C. in integr. restitutione postul. ne quid novi fiat.* Excipitur tamen ab hac regula casus , in quo aliquis post latam contra se in aliqua causa sententiam , intenter judicium de restitutione in integrum , cum vehementi præsumptione malitiæ , quod scilicet id faciat ad impediendam executionem sententiæ: tunc enim executioni mandari potest lata sententia , præstita tamen ab adversario idonea cautione de restituendo , quod medio tempore occasione sententiæ perceperit , si petens restitutionem in integrum in judicio ejusdem restitutionis prævaluerit , ut habetur in *c. suscitata 6. de in integr. restit.*

9. Alter effectus restitutionis in integrum sententia Judicis obtentæ est , ut rescissum sit quod gestum est, & unusquisque in suo pristino jure reponatur , ita ut scilicet læsus , qui restitutionem obtinuit , suum recipiat ; & etiam lædens (si tamen bona fide egerit) suo pretio , & necessariis ac utilibus expensis , quas fortasse in re , quam restituit , fecit , non defraudetur , ut patet ex *c. 1. eod.*

T I T. XVII.

De Arbitris.

1. **H**actenus de tota forma judiciorum. Quia autem ad tollendas lites, prætermiſſis nonnumquã judicibus ordinariis, compromittitur in arbitros, qui controversiam ſua ſententia componant; ideo præcedentibus titulis congruenter ſubjungitur rubrica *de arbitris*.

2. Arbitrator dicitur ab arbitrando, ſeu cenſendo, qualis eſt in lata ſignificatione quicumque aſſumitur ad aliquid æſtimandum, ut quid ſibi in aliqua re videatur enunciet. In ſtrictiori autem ſignificatione, prout hic accipitur, eſt qui conſtituitur ut circa rem aliquam controverſam ſuum iudicium proferat, cui deinde partes ſtare debeant.

3. Quia autem nonnumquam conſtituitur arbitrator de præcepto juris, ut in cauſa ſuſpecti iudicis, in quo caſu debet de jure aſſumi arbitrator, qui de cauſa ſuſpicionis cognoſcat, ex *c. ſuſpicionis 39. de off. deleg.* nonnumquam ſponte, & libera voluntate partium; ideo arbitrator in genere dividi ſolet in arbitrum juris, & in arbitrum voluntarium, qui etiam appellatur arbitrator compromiſſarius, & conſtitui poteſt de conſenſu partium, vel ut procedat ſimpliciter, & non

servata forma judiciali, qualis dici solet amicabilem arbitrator, vel ut servando judiciorum ordinem, puta præmissa citatione, examinatione testium &c. de causa cognoscat, & judicet, in quo casu dicitur proprie, & rigoroſe arbiter, parumque differt à judice, nisi quod jurisdictionem non habeat, sed tantum cognitionem.

4. Compromittere possunt in arbitros quotquot ita liberam habent suarum rerum administrationem, ut etiam alienare possint: secus si cui interdicta sit alienandi facultas. Ex qua ratione in *c. cum tempore 5. de arbitris* expresse declaratur, Ecclesiam exemptam compromittere non posse in præjudicium suæ exemptionis, quia eidem exemptioni, etiam si sponte voluerit, renunciare non potest.

5. In assumendis arbitris habendus est personarum delectus, ne aliquis ex iis eligatur, quibus à jure non permittitur officium arbitrandi. Hujus generis sunt servi, & mulieres, ex *l. fin. C. de receptis arbitris, & Pedius 7. §. in servum ff. eod.* Quod tamen intelligi debere quoad officium arbitri proprie, & rigoroſe talis, non autem quoad officium amicabilem arbitratoris, insinuat Glos. in ead. *l. Pedius v. nullum sit*, ubi explicat statutum legis pro eo arbitrato, quod est simile judicio. Sed & à munere arbitri proprie, & rigoroſe talis non ita in universum excluduntur

duntur mulieres, ut nulli exceptioni locus sit: admittuntur enim de jure canonico mulieres quæ ordinaria jurisdictione fungantur, ut patet ex *c. dilecti 4. de arbitris.*

6. Item ab officio arbitri rigorosè talis pro causis spiritualibus, & fori Ecclesiastici excluditur laicus, ex *c. contingit 8. eod.* Cum enim arbiter Judicem imitetur, sicut laicus in ejusmodi causis judex esse non potest, ita nec decet ipsum arbitrari. Excipitur tamen ab hac regula casus, in quo autoritate, & consensu Superioris Ecclesiastici assumatur in arbitrum laicus simul cum Clerico: hoc enim permittitur in *c. per tuas 9. §. fin. eod.* Nec obstat argumentum à paritate desumptum ex jure civili in *cit. l. Pedius,* ubi sicut servus per se solum arbiter esse non potest, ita nec simul cum libero. Disparitas enim est ex Panor. in *eod. c. per tuas n. 3.* quia servus est incapax compromissi, incapax autem per præcisam mixturam cum capaci non efficitur capax; at laicus non est incapax compromissi super re spirituali, nec prohibetur, ut solus sit arbiter, ratione incapacitatis, quia arbitrium de re spirituali non est actus spiritualis, cum solam dicat causæ cognitionem ab omni jurisdictione sejunctam; sed tantummodo prohibetur propter quandam honestatē, & decentiam: honestas autem satis conservatur ex mixtura Clerici. Oppositum contingit quotiescumque aliquid
prohi-

prohibetur laico ex defectu capacitatis, quia tunc sicut per mixturam Clericorum non efficitur capax, ita & simul cum Clericis prohibetur illud exercere, cujus exemplum est in *c. Massana* 56. & in *c. sacrosancta* 51. de elect. Utrum autem solus laicus possit esse super causa spirituali amicabile arbitrator controvertitur inter aucthores. Negat Panor. in *c. contingit* 8. de arbitris num. 1.

7. Causæ super quibus in arbitros committi potest, sunt quotquot à jure per prohibitionem non sunt exceptæ. In specie autem exceptæ sunt causæ arduæ, & magni præjudicii, quæ per majores judices expediri debent, adeoque compromisso non exponi, cujusmodi sunt causæ matrimoniales, in quibus agatur de validitate aut invaliditate matrimonii, item causæ liberales versantes circa libertatem, & ingenuitatem hominis, & causæ criminales, juxta textum expressum in *c. penult. de in integr. restit.* Exceptæ quoque sunt ex eadem ratione causæ spectantes ad nobile judicis officium, quæ videlicet sunt meri aut mixti imperii, puta causa restitutionis in integrum &c. habetur ex *eod. c. penult. & ex l. non distinguemus* 32. §. Julianus ff. de receptis arbitris.

8. Facto igitur compromisso, & assumpto uno, vel tribus arbitris, ex *c. I. de arbitris*, ut scilicet in eo dispari numero facilius controver-

sta

ita componi possit per sententiam majoris partis, debet apud ipsos controversia definiri: & quamvis liberum partibus sit compromittere, vel non compromittere, supposito tamen quod compromiserint, non potest unus altero invito rem transferre ad Judicem quamdiu pendet arbitrium: quemadmodum, & ipse arbiter quamvis libere possit arbitrium acceptare, vel non acceptare, supposito tamen quod acceptaverit, cogitur sententiam dicere, *l. labeo 3. §. tametsi, & l. Si quis rem 30. ff. de receptis arbitris.*

9. Sed, & stari debet sententia arbitri, quæ à Canonistis vocatur *laudum*, executionique mandari, ita ut nec appellari ab eo possit, ex *l. 1. c. de recept. arbitr.* nisi contineat iniquitatem evidentem, ut limitat Panor. in *c. cum dilectus 6. de arbitris. num. 17.* ubi fuse tractat quando nam prohibitum, vel concessum sit appellare à sententia arbitri. De iure Canonico ab arbitro juris appellari potest ad Papam, ex *c. ab arbitris 11. de off. deleg. in 6.* Si quis autem eidem laudo, contra quod appellare non potest, stare noluerit, distinguendum est utrum commissum factum fuerit sub aliqua pœna subeunda ei qui compromisso non steterit; vel sub nulla pœna. In primo casu contra non stantem compromisso agi potest ad pœnam: at si nulla pœna adjecta fuit conveniri potest ad interesse, ex *c. per tuas 9. de arbitris*, hoc est ad
com-

compensandas expensas factas à parte in litigando, supposito quod aliunde peti non possit executio sententiæ; ut puta quia non intervenit juramentum, nec arbitrium fuit approbatum, ut cum Innoc. explicat Panor. in repet. ad idem *c. per tuas* n. 53.

10. Quod si arbitrium expresse, vel tacite fuerit à partibus homologatum, ut loquuntur Canonistæ, hoc est approbatum, & receptum, & postea unus resiliere velit, executionique contradicat; tunc non sufficit pœnam aut interesse solvere, sed agi potest ad executionem arbitrii, seu laudi, perinde ac si controversia fuerit per sententiam judicis definita, ex cit. *c. per tuas*, & *l. penult. C. de receptis arbitris*. Ubi notandum quod arbitrium, seu laudum tunc dicitur expresse homologari, quando firmatur subscriptione partium, seu expresse approbatur à partibus: tacite homologari dicitur, quando intra 10. dies à laudo lato partes non contradicunt, ut sumitur ex cit. *l. penult.*

11. Idem juris servandum est, etiamsi laudum homologatum non fuerit, si compromittentes in arbitrum juraverunt se laudo statuturos. Cum enim juramentum servandum sit ubi servari potest sine dispendio salutis æternæ, ut habetur in *c. 2. de pactis in 6.* & fere in toto tit. *de jurejur.* ad ejusdem observantiam agi poterit,

teris, & pars compelli, ut etiam sumitur ex c. 2. de arbitris, & pluribus confirmat Panor. in c. per tuas 9. eod. n. 13.

12. Quæstionis est utrum juramentum de laudo servando apponi possit compromisso etiam quando compromisso adjecta est pœna solvenda ab eo, qui compromisso non steterit? Et præterea utrum si contingat compromissum factum fuisse sub eodem juramento & simul cum adjectione pœnæ, satis sit solvi pœnam ab eo qui compromisso non stat, vel utrum præter solutionem pœnæ cogendus sit etiam ad executionem laudi?

13. Respondetur ad primum, juramentum illud in ea circumstantia non videri reprobatum, arg. citati c. Per tuas ubi Innoc. Ill. interrogatus ad quid cogi deberet procurator, qui interposito juramento compromiserat in arbitrium nomine sui principalis, sed deinde laudo stare volebat; respondet distinguendum esse utrum fuerit vel non fuerit de observando arbitrium pœna statuta, & pro utroque se decernit ad quid cogi debeat procurator, ut ibidem videre est: supponit ergo summus Pontifex etiam in compromisso jurato statui posse pœnam solvendam ab eo, qui laudo stare non velit.

14. Ad secundum respondetur rem esse controversam inter Doctores, quam hic pro dignitate resolvere per institutionum brevitatem nō licet.

licet. Pro sententia afferente non stantem compromisso cogendum esse non solum ad solutionem pœnæ, sed etiam vi juramenti ad executionem laudi, videri potest Panor. in cit. c. *Per tuas* nu. 13. & 14. & in repet. ad idem c. n. 31. & 32. Molina de Just. tract. 5. disp. 36. num. 6. ubi dicit hanc sententiam esse communem, aliique ab ipsis citati, juxta quos juramentum de laudo servando æquivalet huic clausulæ *rato manente compromisso*: adeoque sicut si compromissum pœnale fieret sub hac clausula, ut etiam soluta pœna adhuc ratum maneat compromissum, eo ipso peti posset tum executio pœnæ, tum etiam simul executio laudi; ita pariter juxta eosdem si compromissum pœnale fiat cum appositione juramenti de servando laudo. Pro sententia contraria videri potest Innoc. in eod. c. *Per tuas* nu. 3. & Layman. ibid. n. 14.

15. Si igitur contingat aliquem ab arbitrio jurato aut homologato resilire, ut propterea cogendus sit ad executionem ejusdem, id potestatis non spectat ad arbitrum, cui nulla competit jurisdictio sed sola causæ cognitio, ex l. *Aut Prator* 5. ff. de re jud. juncta ibid. *Glos. v. non habent*. Quapropter adeundus erit Judex ordinarius illius, qui resilit ab arbitrio, ex l. *Cum antea* 5. C. de receptis arbitris.

16. Lato per arbitrum laudo expirat compromissum, quia arbiter functus est officio suo, unde

unde nec mutare potest sententiam suam, quamvis erraverit, ex *l. Qualem 19. & l. Quia arbiter 20. ff. de receptis arbitris*: sed in casu iniustitiæ manifestæ, & multo magis si arbitri per dolum & collusionem aut ex falsis probationibus processisse noscuntur, poterit pars gravata opponere exceptionem de dolo coram Judice, & petere ut arbitrium reducatur ad justitiam secundum boni ac prudentis viri iudicium, ut sumitur ex *l. non distinguemus 32. §. cum quidam ff. eod.* dummodo tamen id faciat intra 10. dies post latum arbitrium, quia si ultra eos differat, censetur arbitrium tacite à partibus homologatum, ut supra dictum est, eo proportionaliter modo quo supra in *tit. 14. num. 9.* dictum fuit sententiam iudicis transire in rem iudicatam, si intra 10. dies non fuerit ab ea appellatum. Id tamen intellige quoad reducendam sententiam arbitri rigorose talis: nam contra arbitramentum arbitratoris, seu amicabilis compositoris peti potest reductio ad arbitriū boni viri usque ad 30. annos, ut cum communiore sententia tradit Bart. in *l. Societatem 76. §. arbitratorum num. 22.* quia jus petendi ejusdem reductionem est jus personale, contra quod non præscribitur, nisi 30. annis, ex *l. sicut 3. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

17. Sed & aliis quoque modis expirare potest compromissum, quos enumerant Juristæ in
tit.

tit. *de receptis arbitris*. Inter reliquos est si certus terminus temporis compromisso præfixus fuerit: item si vel arbitri vel litigantes moriantur, quia compromissum non extenditur ad hæredes, nisi specialiter cautum fit, & sic de reliquis quæ apud Juristas ibidem videri possunt.

T I T. XVIII.

De pactis & Transactionibus.

1. Alius quoque modus evadendi molestias judiciorum, præter compromissum, sunt pacta & transactiones, quibus frequenter extra strepitum judiciale controversiæ componuntur; ac propterea de his post rubricam de arbitris ultimo loco dispiciendum breviter nobis est.

2. Pactum dicitur à pactione, ut habetur in *l. 1. ff. de pactis*, unde etiam pacis nomen appellatum est. Pactio autem nihil aliud est, quam duorum pluriumve in idem placitum consensus, fieriq; potest vel expresse vel tacite. Expresse fit vel mediante tractatu inter præsentem, vel etiam per epistolam aut nuncium inter absentes: tacite quando aliquid fit ex quo satis colligitur in aliquam rem consensus quamvis verbis non declaratus, cujus exemplum habes ex *l. 2. ff.*

fin. eod. in creditore, qui chirographum debiti reddat debitori suo: ex vi enim hujus redditionis censetur convenire seu obligare se ad non petendam solutionem debiti.

3. Præcipua pacti divisio est in pactum nudum, & in pactum vestitum sive legitimum. Pactum nudum dicitur quando sistitur in sola mutui consensus & obligationis declaratione absque aliquo extrinseco superveniente, per quod veluti vestiatur & plus roboris acquirat, ut puta quando nec stipulatio intercessit, nec scriptura per litteras aut chirographum, nec traditio ullius rei ex parte alterutrius &c. Pactum vestitum est quando aliquid ejusmodi extrinsecum accedit, puta vel stipulatio, vel scriptura, vel traditio, vel juramentum &c.

4. Quia autem etiam ex præcisa mutui consensus & obligationis declaratione nascitur saltem obligatio naturalis servandi rem pactam; ideo de jure Canonico, cujus est obviare periculis animarum, etiam nuda pacta servanda sunt *ex c. 1. de pactis.* dummodo eorum observatio non vergat in animæ detrimentum ut habetur in *c. fin. eod.* Hoc autem adeo firmitatem habet, ut si quis indultum habeat ab Apostolica Sede aliquid faciendi, sed de eo non faciendo pactum fecerit cum aliquo, cui pacto expresse non derogetur in indulto; tunc pactum & obligatio ejusdem servandi

servandi

servandi vigeat, non obstante eo indulto Apostolico, juxta textum expressum in c. 1. eod. in 6.

5. Ex his inferunt communiter Canonistæ, ut videre est apud Abbat. & Felinum in c. 1. de pactis, etiam ex pacto nudo de jure Canonico oriri actionem id est jus petendi in Ecclesiastico judicio id quod promissum est: nam actio conceditur in judicio, si lex assistat promissioni. *Etæ l. legitima 6. ff. eod.*

6. Transactio est quædam species pactionis & consistit proprie in pactione circa rem dubiam & litis incertæ facta non gratuito, sed aliquo utrinque dato, aut retento, aut promisso, quo à lite recedatur, ut constat ex l. 1. ff. de transact. & l. transactio 38. c. eod. Dicitur circa rem dubiam, quia de re certa & liti non obnoxia, puta de re judicata à qua intra tempus legitimum appellatum non sit, transactio regulariter est nulla, ex l. Eleganter 23. vers. si post rem judicatam ff. de conditione indebiti. Dicitur etiam litis incertæ quia transactio proprie non fit, nisi de re dubia propter litem susceptam aut suscipiendam, cujus exitus sit incertus. Dicitur demum aliquo utrinque dato, aut retento, aut promisso: quia nisi quid tale fiat, dicitur pactum gratuitum seu amicabile compositio, non autem transactio proprie dicta.

7. Transfigere possunt quotquot liberam habent rerum administrationem & facultatem alienandi. Ex defectu talis facultatis non potest Prælati Ecclesiæ transfigere de rebus Ecclesiæ in præjudicium ejusdem, ita ut scilicet transactionis effectus extendatur etiam ultra mortem Prælati, nisi de legitimo consensu Superioris *c. De cætero 5. & c. Veniens 8. de transact.* ut notavit etiam Glos. in *c. ex multiplici 3. de decimis v. eandem conventionem.*

8. Transfigi potest de qualibet re dubia & litigiosa, nisi sit per aliquam legem excepta, quemadmodum excepta sunt spiritualia & his annexa, puta beneficia Ecclesiastica, jus patronatus &c. dato pro illis, aut retento aut promisso aliquo temporali, propter speciem simoniæ *c. constitutus 4. aliisque juribus de transactionib.* Item excepta est causa matrimonialis, super qua nec transactio, nec amicabile compositio fieri potest, ex *c. fin. eod.* cum sit res decidenda secundum Sacros Canones à iudice Ecclesiastico, ne contra eosdem contingat vel matrimonium legitime contractum dissolvi, vel illegitime initum perseverare.

9. In jure quoque civili de quibusdam transfigi prohibitum est, ut puta super causa criminali quæ pœnam sanguinis non irroget, si criminaliter agatur, transfigi non potest inter

T

Accu-

Accusatorem & Reum, quamvis id non prohibetur super causa capitali, excepto adulterio, & super crimine falsi, juxta *l. Transigere 18. C. de transact.* Item prohibitum est, de iis, quæ in testamento vel codicillo relicta sunt, transigi sine iudice, & non inspectis cognitisque testamenti verbis, *l. de his 6. ff. eod. & l. 1. ff. quem admodum testamenta aperiuntur.* Prohibita demum quoque est sine iudicis autoritate & causæ cognitione transactio de alimentis in ultima voluntate relictis, quæ in futurum debentur, ex *l. De alimentis 8. C. de transact. & l. cum his 3. ff. eod.* quia scilicet periculum esset, aliquem contentum modico præsentis facile renunciare sibi relicta, & alimentis in posterum, carere contra mentem testatoris: quæ ratio cum cesset circa alimenta jam præterita, propterea in *cit. l. de alimentis* permittitur de præteritis alimentis transactionem fieri.

10. Præcipuus transactionis effectus est, ut per illam finis litibus vel motis vel movendis imponatur, ita ut postquam semel bona fide & legitimè ea facta fuerit, nullo prætextu retractari possit, sive instrumenti postea reperti, sive præscriptionis, sive privilegii &c. ut habetur in *c. 1. de transact.* Inde est quod transactio parit exceptionem litis finitæ, ut patet ex iis quæ supra diximus in hoc *lib. 3. tit. 6. n. 9.* sumiturque ex

de litis contestat. in 6. Adeoque Reus aliquis ab Actore conventus coram iudice super aliqua re, si opponat de ea re jam factam fuisse transactionem inter se & Actorem, eo ipso non solum vincit in causa, sed etiam impedit omnem litis ingressum & progressum, quemadmodum impediret, si excipiendo opponeret, rem fuisse alias iudicatam, nec appellatum fuisse intra tempus legitimum.

